6
7-c
20M

B.T.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 A
33

6.7.c.20

SFORTIÆ PALLAVICINI
E
SOCIETATE JESU
S.R.E. CARDINALIS

Tractatus

DE STYLO
ET DIALOGO.

Aſſiſtentiæ In quo Germaniæ S. J.

Dum Didaſcalicæ ſcriptionis
forma quæritur,
Omnia ferè ſtyli decora
ordine expenduntur,
Déque natura Imitationis,
& utilitate Dialogi,
Ac ſelectiſſimis quibusque cum Rhetorices, tum Poëtices Problematibus diſputatur.
Eum ex Italico Latinum fecit

JACOBUS BOSCHIUS
Ejuſdem Societatis.

MONACHIJ,
Typis & impenſis Joannis Jæcklini,
Typographi & Bibliopolæ, 1678.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
DOM. PROF. IHS

SERENISSIMIS
BAVARIÆ PRINCIPIBVS
MAXIMILIANO
EMMANUELI
ET
CLEMENTI IOSEPHO
FF.
POTENTISSIMI DVCIS
S. Q. R. I. ELECTORIS
FERDINANDI
MARIÆ
FILIIS
PATRIÆ DELICIIS
Hoc
*Clariſsimi Scriptoris laudatiſ-
ſimum opus*
D. D. C.
COLLEGIVM MONACHIENSE
SOCIETATIS IESV.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

IOANNES PAVLVS
OLIVA,
Præpoſitus Generalis Societatis
IESV.

CVm Tractatum de Stylo, & Dialogo à bo. mem. Cardinali Pallavicino noſtræ Societatis Italico idiomate aliàs conſcriptum, & à P. Iacobo Boſchio ejuſdem Societatis Sacerdote in Latinum ſermonem translatum, aliquot noſtri Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus, ut typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſolitóque Sigillo munitas dedimus. Romæ 8. Iulij, 1677.

IOANNES PAVLVS
OLIVA.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

*Q*Vo tempore ad mandandam litteris Philoſophiam Moralem, ſubtiliore aliquantum formâ, quàm eorum, qui per Italiam Academici appellantur, amœnitas ferat, animum adverti, occurit continuò vetus illa ornatum inter incultúmque Stylum controverſia, quorum ſcilicet uterque ſe aptiſſimum venditat, qui Litterarum Diſciplinis famuletur. Cúmque varia in utriusque partis favorem argumenta digererem, deprehendi, idem evenire ingenio veritatem veſtiganti, quod uſuvenire venatoribus ſolet. Vt enim his, dum

 unius

unius cujuſpiam feræ veſtigia premunt, plures per viam inopinatò ſe offerunt, procùl illæ quidem, atque fugientes: ita multa ex una dubitationes in animo meo enatæ fuerunt: cúmque uni nodo exſolvendo ſollicitè allaborarem, complures alios multiplici colligatione implicueram. Arbitrabar autem, ejus obſcuritatis, quam in aliorum hoc ſuper argumento, quod ipſe verſabam, editis libris inveneram, cauſam eſſe, quòd neglexiſſent, illi lucem è Philoſophiæ Sole affundere, reductis videlicet præceptis artis ad principia Naturæ, cujus Miniſtra pariter Ars eſt, atque Diſcipula. Nametſi contingere poſſit, ut, qui Philoſophus non ſit, ſuomet genio incitatus cum excellentia quidpiam ſcribat, nemo tamen ſine Philoſophiâ, aut cognoſcere poterit, aut docere, undenam ſcriptionis excellentia conſurgat. Hinc illi, qui poſt Ariſtotelē non minùs admirandum

dicen-

dicendi, quàm ſentiendi magiſtrum, diſciplinas Rhetoricas tradidere, praecepta ut plurimùm formaverunt, annotatis ijs, quæ in Scriptorum lectione placere compererant, quin porrò à ratione peterent, ecquid illud eſſet, quod ſuapte naturâ conſentiret cum affectibus, propenſionibúsque, quas humanis mentibus creator Deus inſevit. Et verò quamvis aliqui è Philoſophicis etiam fontibus hanc ſcientiam haurire ſtuduerint; nihilo tamen minùs, quia idem non eſt, eſſe Philoſophum, & Scholaſticorum phraſes memoriâ tenere, factum eſt, ut major eorum pars aquam porrigeret obſcuris turbidam vocabulis potiùs, quàm limpidum, purúmque ſanæ doctrinæ liquorem. Quæ cauſa fuit, ut ego, cui & munus, quod profiteor, & eruditio virorum, inter quos dego, eximium è Lycæi adytis afferre adjumentum poterant, nullâ peccaturus temeritate

ritate mihi videar, ſi typis ea mandâſſem, quæ ſuper hoc argumento diu multúmque meditanti occurrerant; hoc eſt, nobiliſſima quæque ac curioſiſſima problemata, quæ Rhetoricæ atque Poëticæ artis examini ſubijciantur. Dico etiam Poëticæ, non ob arctiſſimam affinitatem tantùm, quâ duæ iſtæ humanarum affectionum Reginæ colligantur, verùm etiam ob eam cauſam, quòd diſputanti mihi, utrùm Præceptori directus ſermo, aut potiùs in Dialogum flexus conveniat, neceſſarium videretur, accuratè naturam, utilitatémque Poëticæ Imitationis contemplari. Quam in rem peropportunum mihi fuit, quòd, cùm ætate, ac conditione uterer liberiore, delectatus ſim admodum quorundam ſcriptorum lucubrationibus, quorum lectio nunc parùm congrueret aut annis hiſce meis, aut generi vivendi: ut adeò evenerit mihi, quod illis ſolet accidere,

qui

qui audaci magìs, quàm tuto conſilio diutiùs inter fodinarum halitus verſati, cùm fortè innoxij inde prodierint, peritiorem auri atque gemmarum cognitionem eo ſibi periculo comparârunt.

Partitus ſum igitur principio totum opus in geminas diſſertationes, alteram de Stylo, de Dialogo alteram: erántque illæ, quas Lectori in editione voluminis, quod de Bono *inſcriptum vulgavi, jam tum promiſeram. Verùm prior de Stylo diſputatio in tantam molem varijs acceſſionibus excrevit, ut alteram, quam de Dialogo paraveram, præ ſe velut humilem pugnæum deſpiceret. Quocirca conſultius viſum eſt, utramque eodem libro conjungere, neque aliam, quàm capitum, facere diſtinctionem.*

Fortè autem videbor alicuì Legiſlatores aliquos imitatus fuiſſe, quì, dum alienis ex ædibus luxum proſcribunt,

eundem retinent in ſuis. Præparcum ſcilicet fuiſſe dicent, in concedendis Didaſcalicæ ſcriptioni ornamentis, eadem tamen in hoc Didaſcalicum meum opuſculum non eâdem frugalitate diſpendiſſe: perinde ac ſi duas in eos contrarias ſententias foverem, unam verbis, ut verba ſunt, alteram verbis ijsdem ut factorum vim habent, adeóque ad perſuadendum efficaciora. Verùm illud notari velim, non eaſdem leges omni Didaſcalicæ ſcriptioni à me dici, quin, cùm illuſtrius, & apertius argumentum fuerit (quale nimirum eſt, in quo ipſi nunc verſamur) indulgeri à me & hilaritatem phalerarũ, & phrygij ornatûs lepóres. Adde: quod fingendorum ritè characterum Doctores non idcirco reprehendantur, quòd in ijs operibus, quæ ipſi pariter componunt, conſcribúntque, ut artem præceptis ſimul doceant & exemplo, copioſiùs multò, quàm ipſi

ſua-

ſuadeant, artificioſos litterarum ductus, & ſplendidi characteris elegantias veneresque pingant: quandoquidem multò expeditius eſt, ut tirones eximiæ artis opus, quod quidem rarò ac parcè uſurpandum ſit, ita omnino, ut oportet, imitentur, ſi crebra ejus exempla conſpiciant, quàm ut idem vel rarò imitari nôrint, ſi infrequentia exempla occurrant. Quare, niſi mihi ornamentorum naturâ adverſatus ſum, non arbitror, eorum copiam crimini futuram eſſe.

Novi equidem, hoc meum opus tum methodo laborare, utpotè non præmiſſa deſignatione conſtructum, tum etiam perſpicuitate; quòd multæ mearum cogitationum, ſeu impatientiâ, ſeu pigritiâ calami per litterarum compendia potiùs, quàm juſtis characteribus deſcripta ſint. Qualiscumque tamen hæc mea lucubratio futura ſit, non eſſet, ut

me

me vel laboris impenſi pœniteret, vel temporis, ſi ad incitanda robuſtiora, feliciorâque ingenia, ut in eaſdem quæſtiones incumberet, valitura videretur, adeóque aptari mihi poſſet id, quod Scriptori me longè doctiori tribuit Tullius: ad docendum parum, ad impellendum ſatis. *Certè in expeditionibus bellicis ſuum quoque tympanis pretium eſt, quamvis naturâ inermibus, & ad ſtimulandos tantummodo milites idoneis.*

Ad Illuſtriſsimum & Reverendiſsimum Dominum Ioannem Baptiſtam Rinuccinum Archiepiſcopum Firmanum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Caput I.

1. ADeò rectè ſentiendi, & benè dicendi partes inter ſe connexæ ſunt, ut Græci utriusque artis magiſtri egregij, unâ eâdémque voce ambas appellârint. Et quemadmodum natura hominem binis hiſce dotibus, velut equeſtri patrimonio eximium, ſupra cæterarum animantium plebem extulit, ita bruta nomine *irrationabilium* pariter & mutorum ab homine diſcreta ſunt. Sanè ſi hominem ceu ſociabile animal ſpectes, vix apparet, quam utilitatem è ſcientia caperet, niſi vocum miniſterio alios ſcientiæ ſuæ reddere conſcios poſſet. Ipſa cognitio noſtra, uſitatâ Scho-

laſticis voce, *Verbum* appellatur, quod tam excelsũ eſt nomen, ut ea pariter increata Divinæ Mentis proles voluerit nüncupari. Vnde licet cognoſcere, quàm procul illi & à genio naturæ, & ab unanimi conſenſu ſapientum recedant, qui uni rerum cognoſcendarum ſtudio intenti, bene dicendi artem, velut puerilem, & indignam viris exercitationem aſpernantur; atque hoc ipſum eſt, de quo nonnullâ diligentiâ in hoc libro Philoſophatus ſum, quem tibi, Clariſſime Rinuccine, dicatum volui.

2. Multis nominibus tenebar, ut demonſtrarem, quantus in animo meo eſſes, oblato tibi ex operibus meis aliquo; id ſcilicet faciendo tuum ex meo, quod meipſo magis mihi curæ eſt, utique quando meipſum, ut illud efformem, ſponte attero. Nunquam memoriæ meæ excidit, te ingenij, & eruditionis famâ conſpicuum inter primos fuiſſe, qui pueritiæ meæ liberali applauſu dulces ſtimulos addiderunt ad ſtadium litterarum decurrendum: quâ in re æmulatus

tibe-

es benevolentiam Magni Cardinalis Octavij Bandini avunculi tui, qui tanto favore ſtudia mea juvenilia proſequebatur, quantum citra notam temeritatis haud potuiſſent maturiores progreſſus à tanti viri judicio expectare. Et nempe hujus debiti, quo Bandino devincior, in te cum ſanguine hæreditas derivatur; non enim ſatis grata eſt illa beneficiorum memoria, quæ ſolis cineribus ſe obſtrictam profitetur, ejusmodi ſcilicet creditori, qui exigere ſolutionem haud poſſit. Neque tamen iſtis rationibus induci poteram, ſi ſolæ fuiſſent, ut donum, quod in præſens tibi offero, traderem; nolui enim nuncupationes librorum meorum uni amicitiæ deſervjre, aut acceptis beneficijs referre gratiam, verùm obſervantiæ quoque teſtes ac veluti vectigalia eſſe volui, ideóque viros delegi, quos non tam amarem ipſe, quàm omnes venerarentur.

3. At enim illum vel imperitiâ cæcum, vel luſcum invidiâ eſſe oportet, qui in te non agnoſcat gemina illa longè illuſtriſſima decora, quorum in famulitio

ſemper eſſe veneratio conſvevit, doctrinæ ſcilicet, ac virtutis. Vivit etiamnum in hoc Romano Collegio, in quo dego, clariſſima memoria ſublimis ingenij tui, quod in ætate adhuc tenera non promittebat modò, verùm etiam exhibebat maturæ excellentiæ fructus. Vivit ea non minùs in hac Aulâ Pontificia, quæ tametſi in parte gloriæ ponat, etiam miranda non admirari; nihilominùs tamen admirata te fuit adoleſcentem, ſi oculis crederet; ſi fidem haberet auribus, ſenem, rapere animos Eminentiſſimorum toto orbe virorum, & maximi in terra Principis in Academia Quirinali. Neque poſtquam ſacris infulis exornatus fuiſti, ſegnior eſt fama, quæ per omnes Italiæ partes ardentiſſimæ juxta & potentiſſimæ facundiæ tuæ encomia dividit, illius inquam facundiæ, quâ Vicarium Apoſtolorum munus tanta cum dignitate obis, fulminans ſcelera, & rorem melleum pluens alendæ pietati.

4. Quanquam opere, quàm ſermone validiùs cœli cauſam contra orcum agis, & vi-

&vitæ tuæ exemplum unicus forſan te major ac eloquentior Orator eſt. Pectus tuum contra omnes ſenſuum illecebras jam inde à teneris annis adamante puriſſimo munitum ſtetit. Ipſa etiam malignitas nunquam eò proceſſit impudentiæ, ut hanc tibi laudem negaret. Quapropter ſi repertus eſt forſan aliquis, qui te oderit, nemo tamen exſtitit unus, qui reveritus non ſit. Quæ quidem obſervantia tantò eſt glorioſior, quantò teſtimonium eſt evidentius virtutis, cùm ab amore ſejungitur. Et quis eſt, qui non extollat Pontificiam prudentiam Innocentij X. te veluti præſidiarium & defenſorem Angelum deſtinantis affli-ctæ quidem, ſed glorioſæ Hyberniæ? in qua tanto jam tempore illius oraculi fides comprobata eſt, Dei verbum in captivis licèt Chriſtianis nullam pati iacturam libertatis. Quis eſt, qui ex quiſitiſſimis laudibus non efferat ardorem illum animi tui prorſus Apoſtolicum, quo infirmam corporis tui valetudinem libens expoſuiſti cœli illius rigori, quod tam eſt remotum à benefici ſolis radijs,

quàm expoſitum injuriis & poteſtati tenebrarum: ubi non alias ſperare delicias poſſis, præter illam voluptatem, quâ pectus magnanimum ſaginatur, dum proprijs ſudoribus felicitatem comparat plurimorum. Semper quidem futura dubij eventûs caligine involuuntur, neque fas eſt ingenio humano prænunciare Divinæ Providentiæ arcana, quæ non rarò ſuſtinuit, ut cauſam meliorem fortuna deſtitueret, & ut ſtudia bonorum præter ſe nullum afferrent Deo fructum, ſibi verò Deum referrent pro fructu. Nihilominùs tamen virtutes tuæ mihi concedunt, ut ſine temeritatis aut adulationis notâ, hoc itineri tuo accinere Propempticon tutò poſſim, fore videlicet, ut in magnæ Britanniæ regno tot annos oppreſſa religio per te incipiat aliquem libertatis Spiritum ducere, aut certè, ut ab ore tuo & exemplo vitæ arma cœleſtia capiat, quorum præſidio victrix catenas vertat in coronas, & mutato in Arcus triumphales carcere, ſuper infames cruces extollat ſuorum gloriam trophæorum. Atq; hæc ſunt illa decora,

quæ venerationem tibi conciliant, tuámque mihi amicitiam faciunt glorioſam, méque impulerunt, ut nominis tui ornamentum ſcriptis meis inſertum percuperem.

5. Verùm non minùs potentes ſunt eæ rationes, quibus adductus fui, ut hunc potius ad te librum dirigerem, quàm ex ijs aliquem, qui antehàc à me typis mandati fuêre. Diſquiritur in eo (id quod ſupra dicebam) vera forma aſperrima quæque, & ſubtiliſſima Diſciplinarum litteris tradendi. Ubi autem ejusmodi forma feliciùs inveniri poterat, quàm apud te? Non te fugit, ut arbitror, quod ſuperioribus annis me modeſtè & peramicè interpellâris, ut quasdam commentationes tuas ſuper varijs Sacri Præſulis officiis auſcultarem, & ſubindè liberè ad te referrem, quid ſentirem, cúmque ego attentione ſummâ toto horæ ſpatio aliquam earum diſſertationum immotis inconnivíſque oculis excepiſſem, demum in ejusmodi encomium proruperim, quod tui quidem animi modeſtiæ prorſus inexpecta-

tum accidit. Omitto illud huc referre; nam etſi ſententia, quam protuli, vero, ut quæ maximè, conſentanea fuerit, mihi tamen poteſtas defuit pronunciandi. Cûm verò communi litteratorum virorum applauſu, penes quem ſuprema procul dubio judicandi poteſtas eſt, eadem ſubinde celebrarentur, facilè intellexi, lynceis oculis opus haud eſſe, ut quis ingentem lucem advertat. Sanè, cùm audirem res tam aridas, auſteras adeò, jejunasque, tanta peregrinarum ſententiarum ubertate, tanta dulcedine ſtyli, tam inſigni denique ornamentorum ac figurarum lautitiâ pertractari, major in animo meo excitata eſt admiratio, quàm ſi voluptaria tempe per magicæ artis præſtigias in nudis & inacceſſis ſcopulis collocata intuerer. Nemo itaque te meliùs ſtatuere poterit, utrùm ea, quæ ſuper hoc argumento diſcepto, congruant veritati, quia ſcilicet idem eſt veritati, ac tuis eſſe conſentanea. Et profectò metuendum aliàs mihi foret, ne ludibrio me exponerem cum ſene illo, qui ſuper men-

ſam

ſam auſus erat de arte militari præſente Hannibale ad Antiochum verba facere. Verùm ille non viderat eam artem, quâ de loquebatur, ab Heroe illo tractari. Ego forſan minùs erravero, ſi tecum de hac arte fuero locutus, poſtquam eandem exerceri à te mira felicitate conſpexi.

Caput II.

Proponitur Problema: utrùm ſcientiis conveniat phraſis inculta, & barbara, quo modo primum uſurpari cœpta, quibúsque rationibus defendatur.

I. QUodſi hæc cauſa veterum Philoſophorum exemplis decidenda foret, vix eſſet controverſiæ locus; quia Græci juxta & Latini nulla unquam laude dignum judicârunt, quæ mente conceperant, barbaro ſtylo explicare, & nobiliſſimos ingenii partus ſordidis veluti centonibus involvere. (a) Vnum conſtat Epicurum non quidem

(a) *Tullius principio de Finib.*

amâſſe ſordes, ſed ornamenta dicendi neglexiſſe, utpotè qui artes omnes etſi maximè ingenuas tanquam ſteriles proſcripſit, niſi corporis delectationi ſubſervirent. At in aperto item eſt Epicuri ſcripta eam ipſam ob cauſam, minorem Lectorum copiam, & approbationem ſibi conciliâſſe.

2. Cæterum oratio Democriti, (a) & ob vehementiam ſuam, & quod clariſſima lumina verbis adhiberet, ab aliquibus inter Poëmata numerabatur. Atque ut nihil dicam de primis illis, quorum ſcripta nobis injuriâ temporum periêre, in Platonis (b) ſtylo eam granditatem videre licet, quæ Ciceronem & Valerium Max. dicere coëgit, felicius beatiúsque dicendi genus neâ Jove quidem eligendum, ſi Græcè loqui voluiſſet. Et nemo neſcit Ariſtotelis eloquentiam à M. Tullio aureo flumini comparatam fuiſſe, tametſi cum imperitia Grammaticorum, qui in unico illo exemplo, quod in Scepſidos cryptâ ſepultum ætatem utcunque tulerat, litteras humore ac ſitu corru-

(a) *Tull. in Oratore.* (b) *In Lucullo.*

corruptas reponere conati ſunt, tum etiam librariorum negligentia & exigua facultas Interpretum huic aurifero Gangi (a) multum limoſi Nili miſcuerint. Idem Cicero in Theophraſti ſtylo quandam divinitatem Eloquentiæ agnoſcit, refertque ab aliquibus pronunciatum fuiſſe, Xenophontis ore, quem eo loco Philoſophis, non autem Hiſtoricis accenſet, ipſas Muſas fuiſſe locutas.

Jam verò ut ad Latinos veniamus, quantâ ſermonis venuſtate, quantâ figurarum eloquentiâ Lucretij Phyſica, Senecæ Quæſtiones, Plinij naturalis Hiſtoria effloreſcunt? Omitto quidquam de Philoſophia morali dicere, in quam omnia Gratiarum myrothecia inſumpſerunt M. Tullius, (b) & Seneca, digniſſimi, quos idem ſanguis maternâ ſaltem cognatione conjungeret, ſicut eos bonarum artium amor, & famæ celebritas ſociavit.

3. Verùm ubi poſt infelicem multo-

(a) *Strab. l. 13. in orator.* (b) *Muret in notis ſuper lib. de Conſolat. ad Helviam.*

rum ſeculorum ruditatem Caroli M. aliorúmque illuſtrium Principum auſpiciis revireſcere denuò litteræ cæperunt, id illis ſub novæ lucis uſuram perincommodè accidit, quòd non poſſent alterius (ut ita dicam) obſtetricis excipi brachijs, quàm maximè barbari & inculti ſermonis. Italiam bonarum artium in Occidente (abſit verbo invidia) præcipuam ſedem, gentes ſtolidè feroces inundaverant, quæ non lauros tantùm temporibus, ſed penè linguam ex ejus ore avulſerant. Inclytus ille Latinus ſermo poſt ignobile ſenium in ore demum omnium emortuus erat, neque ex tot, tamque confuſis vocibus, quas illa ferarum gentium colluvies ſonabat, certam rationem loquendi dabatur efformare. Ac demum cum elegantiâ ſermonis interciderunt etiam colores illi figurarum, numerúsque periodorum, qui aliquandiu in Sanctorum Patrum eruditis Scriptionibus ſupervixerant. Quo factum eſt, ut vix tanta ſcribendi, dicendíve peritia ſupereſſet, quanta ſocietati humanæ neceſſaria erat.

4. Sed

4. Sed utcunque aboleri viciſſitudine temporum inter homines ſcientia poſſit, quæ arte comparatur: à communi tamen interitu immune ſemper ingenium eſt, quippe munus naturæ. Igitur quamprimum inclyti Principes illi favoribus ſuis proſequi ſtudia occœperunt, emicuêre illicò acerrima ingenia, quæ ſe in ſecretiſſima quæque Diſciplinarum omnium adyta penetrârunt. Non licuit tamen eâdem celeritate, ſub ea revireſcentis Eruditionis incunabula venuſtatis quoque ac facundiæ decora conſequi, quibus ſua ſenſa proferrent, & idoneo, quod ille ait, colore illuminarent. Non enim qua velocitate ingenium ad peregrinæ veritatis lucem evolat, eâdem quoque ſermonis copiam, & apparatum memoria nanciſcitur. Peritia, phraſis, figurarum uſus, & numeri ſuavitas fructus ſunt ejusmodi, ut in pingui etiam ſolo non ſine cultu exercitationis, & decurſu temporum matureſcant. Neque alio tædio tantoperè laborant pernicia ingenia quàm laboris moræque in revocandis ad limam lentâ operâ

quibusque vocabulis, & memoriæ veluti repetito cogitationum ictu inculcandis; quæ cùm non ratione, ſed unico hominum arbitrio & conſenſione nitantur, ratiocinationis inſtrumentis imprimi non poſſunt. Atque adeo niſi hæc ſtudia peragantur eâ ætate, quam natura memorandi facultate plurimùm inſtruxit, quæque intentato ferulæ metu adigi, nec ingenium majoribus mentis illecebris occupare poteſt; experimur ut plurimum raros deinceps eſſe, qui ſe iſtis ſedulò, rariſſimos, qui feliciter dedant. Sed non debet hoc loco meritis laudibus fraudari Franciſcus Petrarcha. Ille enim non modò patrium ſermonem carminibus ſuis in eam venuſtatem promovit, ut poſtquam illi expoliendo tot ſeculis eximia quæque ingenia eruditæ jam Italiæ ſingulari arte induſtriáque inſudârunt, ipſe tamen nulli non admirabilis etiamnum ſit, ac ferè ſpem omnem imitationis abſtuliſſe videatur: verùm etiam è vultu neglectæ deſertæque ab omnibus Romanæ linguæ ſqualorem abſterſit, eíque tum proſâ, tum

versâ

verſâ oratione amabilem viſu ſpeciem circumdedit. Sed hæc longo poſt intervallo contigêre, quàm bonæ artes refloruerant.

5. Hæc igitur cauſa eſt (ut propoſito nos argumento reddamus) ob quam primi ſapientiæ inſtauratores rebus contenti, voces neglexerunt adhibitâ in Emporiis litterarum æreâ maléque cusâ monetâ, cujus tunc ſcilicet uſus erat. Etſi quando deeſſet nomenclatio, quâ ſine ambagibus, & quàm expeditiſſimè interni cujuſpiam ſenſi ſubtilitatem exprimerent, ipſi pro poteſtate novam condebant, quæ tamen uſitatarum principio vocum ſimilitudinem aliquam retineret. Atque hi duces fuêre maximarum copiarum, quæ deinceps ab illo priorum horrido dicendi genere non receſſerunt, tum quia ſic comparati naturâ ſumus, ut ſequi malimus, quàm præire, magísque amemus, quæ prona, quàm quæ ardua ſunt, & laborem poſcunt: tum etiam quòd peropportunum hoc judicarent, ut, qui recèns ſe Philoſophiæ adjunxerant, facilè veteranos illos

intelligerent, tali ſermoni aſſuetos, atque ab iisdem ipſi intelligerentur, cùm fortè diſputarent. Sicque paulatim nationi huic Scholaſticæ (ita enim lubet eam appellare) proprium idioma enatum eſt, quod partim novis, partim antiquis vocibus componebatur, omni tamen venuſtate ſermonis, ac propemodùm omni legum etiam Grammaticarum reverentiâ ſublatâ.

6. Et cùm ſoleamus noſtri ipſorum amore capti plurimùm nobis blandiri, non modò ut fictis virtutibus nos exornemus, verùm etiam ut vitia noſtra ſub imagine virtutum magnificè circumſpiciamus; ac ſæpe probemus aliqua, non quòd antè probabilia viderentur, quàm ea elegiſſemus; ſed quia elegimus: factum ſubinde eſt, ut id, quod olim neceſſarius fuerat ignorantiæ partus, deinceps velut electione noſtra dignum laudari cœperit. Argumenta, quæ pro hac cauſa pugnant, à Joanne Pico Mirandulæ Comite in Epiſtolâ, quam ad Hermolaum Barbarum, illuſtre per ea tempora Venetæ nobilitatis Lumen, dedit; ele-

eleganter expreſſa ſunt. Diſputationi anſam præbuerat, quòd Hermolaus floridæ orationi Themiſtij, quem ipſius beneficio Latio illatum habemus, penitùs addictus, & ſelectiſſimum quemque ſermonem impensè deamans, ad Picum litteras dediſſet, quibus acerrimè, nec ſine contumelijs perſtrinxerat Scholaſticorum eâ tempeſtate barbariem. Picus igitur, ut qui plures annos ætatis ſuæ longè pretioſiſſimæ horum lectioni dediſſet, modeſtè illorum cauſam defendendam ſuſcepit, conatus impoſitum Philoſophis crimen amoliri. Quoniam plerumque homines (ut eſt apud Horatium.) (a)

- - - Turpe putant, quæ
Imberbes didicêre, ſenes perdenda fateri.

Tametſi enim Picus, ſi annos numeres, inter juvenes cenſeri poſſit, ſi tamen vaſtiſſimarum diſciplinarum apparatum ſtudio induſtriaque ab eo comparatum, ingenij quoque trophæa, & palmas conſideres, jure optimo ſenem, nec minùs ob ætatem, quàm ob ſingularem Eruditionem Phœnicem appel-

(a) *Lib. 2. Ep. 1.*

appellaveris. Is tamen ſub Epiſtolæ calcem fatetur ingenuè ſuſcepiſſe ſe hujusmodi ſententiam defendendam, non quòd eam planè in animum ſuum induxiſſet, ſed eâ libertate, quâ febris quartanæ encomia contexuiſſent alij, & quâ Glaucus apud Platonem commendaſſet injuriam, ut Socrati validioribus argumentis eam confutandi occaſionem præberet.

7. Pici argumenta potiſſima ſunt, ornamentis Eloquentiæ veritati fidem auferri, & incertam effici: dum ſcilicet lectori dubium redditur, utrùm, quam animo vim fieri ſentit, ab efficacitate rationis, aut ab oratoris artificio proficiſcatur. Atque ideo voluiſſe Deum ſacras litteras ſimplici planóque ſtylo exarari, quo tamen ſtylo orbis terrarum ad veram religionem adductus ſit. Quod deinde ad candorem ſermonis attinet, aut, inquit, ſtatuimus, à vocibus res certas ſuapte naturâ ſignificari, aut habere hanc vim à libera voluntate hominum, nomenclationem imponentium rebus: & ſiquidem vocum naturæ hæc

vis inſit, credi potiùs debere, Philoſophis exploratam eſſe hanc earum naturam, quorum ſcilicet proprium hoc ſtudium eſt, rerum naturas inquirere, quàm Rhetoribus, atque Grammaticis. Sin verò iſta conſenſione hominum eveniant, licuiſſe alijs populis idioma ſibi proprium condere, cur idem Philoſophicæ genti conceſſum non ſit? Et quemadmodum veritas non idcirco pretium ſuum amittit, ſi Ægyptio, aut Chaldæo potius quàm Latino ſermone exhibeatur, ita neque ſi Philoſophicâ linguâ proferatur, quidquam ab eâ deperdi: quem quidem ſermonem non rude vulgus, ad quod reliqui omnes referunt natales ſuos, ſed congregatio virorum formaverit, quam florem poſſis ingeniorum dicere, tum ob perſpicaciam, tum ob doctrinam.

Caput III.

Dividitur controverſia in varia capita, & examinatur, utrùm tractationi ſcientiæ conveniant ornamenta, quæ ab affectibus, & amplificationibus accipere Eloquentia ſolet?

1. PRæſentem controverſiam in tres dividendam quæſtiones exiſtimavi. Prima eſto: utrùm Didaſcalicis operibus Eloquentiæ ornamenta conveniant. Tum, an in iiſdem Eloquentiæ candor requiratur: denique, utrùm phraſi barbarâ utendum à primis Scholaſticis invecta, & eorundem exemplo etiam novæ voces confingendæ ſint, quando ita libuerit. Quod ad primum caput attinet, advertendum eſt, à nobis Eloquentiam hic accipi, non ut fidem captat, vel inflammat perturbationes, ſed ut artifex ſtyli eſt. Quâ ratione præcipua ejus decora ſunt facilis intimorum affectuum excitatio, amplificatio rerum, elocutionis ſplendor, varie-

rietas figurarum, numerus, ſententiæ, comparationes, argutiæ: ſiquidem Eloquentia, quà ad ſtylum pertinet, aliud non eſt, quam minium quoddam, quo res ita pingnntur, ut inſpicientibus gratiores reddantur. Delectatio autem iſta enaſci ſolet, cùm audimus, vel quæ nos tangunt; atque huc facit excitatio affectûs, quà nimirum auditor in partes pertrahitur, vel aliquid ejusmodi, quod inter cætera ſeſe efferat: atque hanc ſpeciem inducit amplificatio: aut quod pulchrum eſt, & huic formæ conciliandæ opportunus eſt elocutionis ſplendor: aut quod à moleſtia recreat; & ad recreationem varietas, ſvavitasque figurarum facit: aut quod blanditur auribus (qui janitores ſcilicet verborum ſunt) atque hæc Numeri provincia eſt: aut denique quidquid novâ ſcientiâ mentem ditat: idque tribus potiſſimùm modis fieri poteſt. Primò, cùm veritas quæpiam generalis, in ijs maximè, quæ ad vitam humanam pertinent, indicatur: hæc enim reliquis gratiora nobis, quia magis noſtra ſunt; ídque percipi-

mus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

mus è ſententijs. Secundo, cùm quædam affinitas variarum rerum, quæ nobis diſſidere invicem videbantur, oſtenditur, qui proprius eſt ſimilitudinum frnctus. Tertius demum eſt, cùm in nobis repente mirabilis aliqua animadverſio excitatur, & totum hoc communi genere Argutiarum comprehenditur. Præmiſsâ ejusmodi diſtinctione, cujus ope quæſtiones è labyrinthis in ſemitas evadunt, nos porrò diſputando progrediamur.

2. Ex his Eloquentiæ delicijs, quas enumeravimus, aliquas prorſus exiſtimo alienas eſſe debere à profeſſore ſcientiæ, affectus præcipuè atque amplificationes, ob eandem nempe cauſam, ob quam illos Famianus Strada, meus olim Præceptor, ab hiſtoria removit, in altera Mureti ſui parte: nempe quòd affectus non minùs, quàm amplificationes candori veritatis officiant, quæ non eſſe tantùm, ſed etiam apparere finis Hiſtorici debeat. Adeo ut Caſtelvetrius illos Hiſtoriographos reprehendat, interque cæteros Livium, à quibus

bus populares, gentiléſque milites *Noſtri* vocantur. teſtantur enim hoc vocabulo, ſe uni partium addictos, adeóque minùs idonei ſunt ad ferendum teſtimonium de ſucceſſibus præliorum inter ſuos, atque exteros commiſſorum. Jam verò affectus occultant veritatem, eò quod tantam vim habeant immutandi judicia, & in unam potiùs, quàm alteram partem inclinandi, ut hanc præcipuè proprietatem in illis notaverit Ariſtoteles, (a) cùm eos in Rhetoricâ deſcripſit. Amplificationes quoque, quod nomine præferunt, ex illorum ſunt genere conſpiciliorum, quæ juſtam rerum magnitudinem augent. Hæc tamen omnia Hiſtorico vetita exiſtimes, niſi cùm Oratorem, velut in concionibus uſu venit, induerit. huic enim conceſſum eſt apertè præferre ſtudia partium, ut qui propoſitum habeat non intelligentiam auditorum erudire, ſed quoquo modo expugnare voluntatem. Sed neque locum habet lex ſuperiùs lata in in illa commotione affectuum, quos

Hi-

(a) Lib. 2. cap. 1.

Hiſtoricus in Lectore ſuſcitat, non præferendo partis alicujus ſtudia, ſed unâ duntaxat deſcriptione vividâ & efficaci eventuum, qui ſuâpte naturâ ad commovendos animos valent. (a) De qua re Auguſtinus Maſcardus in arte Hiſtoricâ rectè philoſophatur.

3. Eâdem ratione Philoſopho, qui in eo, quòd pro fine ſolam veritatem habet, Hiſtoriographo comparatur, ab affectibus, & amplificationibus abſtinendum eſt, Ariſtotelis exemplo, qui hac in parte mihi videtur aptiorem ad docendum ſtylum delegiſſe, quàm Plato, Cicero, aliíque à me producti. Et verò ipſum Tullium hoc præcepiſſe legimus, quamvis non admodùm religioſè ſuis ipſe præceptis interdum paruerit. Difficulter enim à luxu ſibi temperat in publico, cui veſtiarium domi abundat. (b) *Mollis eſt*, inquit ipſe, *oratio Philoſophorum, & umbratilis, nec ſententijs inſtructa popularibus, nec vincta numeris, ſed ſoluta liberiùs: nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil*

(a) *Tract. 4. cap. 1.* (b) *In Orator. ad Brut.*

nihil aſtutum, caſta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Itaque ſermo potiùs, quàm oratio dicitur.

4. Quo loco diſſimulare non poſſum, exemplum SS. Litterarum à Pico adductum pro vero à me non putari: licèt enim libri Hiſtorici nudam quandam ſimplicitatem præ ſe ferant, uti ſcilicet poſtulabant ea rationum momenta, quæ pro Hiſtoria produxi, nihilominus ubi ſacrorum voluminum ſcriptores Poëtæ, ſeu Oratoris partes ſuſcipiunt, vel in Pſalmis & Canticis, vel in ſermonibus Prophetarum, & Epiſtolis Apoſtolicis, tam copioſa in illis affectuum, & amplificationum, ac validiſſimarum quarumque figurarum ornamenta videre eſt, ut generoſior quiſpiam ætatis noſtræ ſcriptor ad ornandum nobilitandúmque Lyricum ſtylum penè majorem è Palæſtinâ quàm ex Græcia apparatum petierit.

5. Neque verò meus tantùm hic ſingularis ſenſus eſt. D. Auguſtinus inter eloquentes ſapientiſſimus, & eloquentiſſimus inter ſapientes, de venerandis

illis Codicibus ita ſcriptum poſteritati reliquit: (a) *Vbi eos intelligo, non ſolùm nihil eis ſapientius, verùm & nihil eloquentius videri poteſt.* Neque alia mens fuit Joanni illi, qui velut ab eloquentia ipsa adoptatus, nomen inde Chryſoſtomi traxit, quíque, ut in ea tractanda ſummam admirationem, ſic & in dijudicanda auctoritatem maximam eſt conſecutus. Atque ut nihil dicam de laudibus, quibus vir tantus Davidicas Odas cumulavit, ſatis habebo, (b) ſi judicium attulero de voluminibus novæ legis, quæ humiliora, magíſque inculta vulgò haberi conſuevêre. (c) Is ergo captatâ occaſione in illos animadvertendi, qui S. Pauli modeſtiam, infantem rudémque in dicendo ſe profitentis, in otij licentiam, & litterarum ſtudiorúmque contemptum trahebant, notat, fuiſſe quidem Paulum Græcæ elegantiæ, quippe peregrinæ, minùs peritum, ſi verò ſenſa ſpectes, eloquentiſſimum, adeò ut ſola dicendi efficacitate multas gentes

(a) *L. 4. de Doctr. Chriſt.* (b) *2. Cor. c. 11.*
(c) *L. 4. de Sacerdot. circa finem.*

tes convicerit, priùs quàm ullum prodigium patrâſſet. (a) Et cùm Lycaonij, ut eſt in Apoſtolorum actis, Paulum & Barnabam pro Dîs habuerint ob effecta prodigia, Paulum ſingulariter ob eloquentiam Mercurium ijs viſum fuiſſe: in cujus ſubinde Apoſtoli ſcriptis omnia eloquentiæ decora recognoſcit.

6. Et quis eſt, qui non videat, cùm ſacræ paginæ, de quibus modò ſermo eſt, non ad problematis cujuſpiam inveſtigationem, aut ſimplicem, citra partium ſtudia, Hiſtoriam referendam, conſcriptæ ſint, ſed ad inſerendum mortalium animis ſublimem quendam de divina Majeſtate, déque innumeris, quibus ei obſtringimur, nominibus, & paratâ nobis felicitate, aut miſeriâ perpetuâ ſenſum, nullam planè vitioſam auxeſin eſſe, ut quæ rei veritate multis ſemper partibus inferior ſit. Adde, quòd, cùm eædem litteræ in hunc finem collineent, ut peccati quantumvis illecebroſi odium, & virtutis, quamvis arduæ amorem ingenerent, oportebat profe-

(a) *Actor.* 14.

ctò potentiſſima quæque telorum genera contra ſenſuum repugnantiam diſtringere, quibus non tam perſuaderetur Ratio, quàm voluntas ſub jugum mitteretur.

Verùm, quia in tractatione ſcientiæ ſolius ingenij eruditio quæritur, cúmque Philoſophi partes ſint, veritatem ſincerâ, ſimpliciſſimáque ſpecie proponere, haud ſanè decet, vel illam amplificatione, vel contemplantis oculos commotione immutari.

Caput IV.

Quomodo à Magiſtris elocutionis ſplendor, figurarum varietas, atque universè ſtylus ornatus, adhibendus ſit?

1. Cùm ad Elocutionis ſplendorem, & ad varietatem figurarum progredior, *ſplendoris* nomine, prout ab alijs ſtyli ornamentis differt, lucem quandam intelligo, quæ venuſtè in res ſpargitur, adhibitis nobilioribus vocibus, & translationibus, quæ ab illuſtribus maximè rebus ducantur, ídque non alio fine, quàm ut expoſitæ cogitationes ad lectoris animum ſpecie auguſtiori perveniant. Quænam verò ſit verborum nobilitas, in eum locum rejicio prolixè diſcutiendum, quo de elegantiâ ſermo erit. Et quantum ad metaphoras pertinet, de illis ſolùm dicere conſtitui, quæ unico nobilitandi fine uſurpantur, cùm alij Metaphorarum uſus ad alias orationis dotes referantur.

2. Figurarum nomine illas loquendi,

exponendíque formas noto, quæ de induſtria à plano ſermone Grammaticorum, & communi loquendi conſuetudine recedunt, ſive diducantur, decurtentur, ſecentur, & adſtringantur verba, ſive abjiciantur animo cogitata per varias, nec uſitatas vulgò formas, quod ipſum figuræ nomen indicat: jam Synonymis variando ſermonem, aliàs eandem vocem ex arte repetendo; ſubinde admirando, interrogando, atque iterum per Ironiam contrarium ei, quod verba ſonant, ſignificando: & in ſummâ (nam enumerare omnes, Rhetoris officium eſt) lectoris animum ſemper excitatum, & alijs aliísq; modis, velut inexpectatis quibusdam titillationibus, exercitatum detinendo, ita nempe, ut contenti haud ſimus eo ſermone, qui vulgatiſſimus eſt loquentibus, ideóque nihil habet aut curioſitate, aut animadverſione noſtra dignum.

3. Et verò prudens non omne id *figuræ* vocabulo inſignivi, quod à primâ linguæ formatione, ſed quod à communiore hodie loquentium uſu diſcedit:

quo-

quoniam, quod olim inter figuras cenſebatur, ſubinde figura deſinit eſſe, poſtquam id adeò commune conſuetudo fecit, ut uſitati ſermonis tritiſſima forma evaſerit, quia ſcilicet linguæ non in ortu tantùm, ſed etiam in progreſſu, & mutatione ab hominum arbitrio pendent, & quia Grammatici non latores, ut aliqui opinantur, ſed compilatores tantùm earum legum ſunt, quas jam ante Princeps uſus rogârit.

4. Jam verò ſchemata illa, quæ non ita procul à conſuetudine abſunt, & nonnunquam in vulgi quoque ore verſantur, ob hoc ipſum minùs ſpectabilia ſunt, minorémque habent excitandi vim. Atque hæc ſcilicet eſt ſupellex elegantiæ, quam ſororum minorem appello. Quæ verò plus habent roboris ac novitatis, quæque ideo vivaciùs excitant auditoris animum, quia ſe oſtentant magnificentiùs, mundus ſunt majoris è ſororibus, quæ Eloquentia vocatur.

5. Hâc ſplendoris, & figurarum ſignificatione ſtabilitâ, credo equidem

ornamenta in univerſum, certè bina illa, de quibus diximus, ijs, qui Diſciplinas ſcribendò tradunt, convenire, ſi tamen parcè ac frugaliter uſurpentur. Splendor ita temperatus ſit oportet, ut oculos non hebetet, velut æſtivi & meridiani ſolis fulgor, qui claritate immodicâ caliginem illi circumfundit. Figuræ non afferant laborioſam voluptatem, nec ejusmodi phrygium textum efficiant; quod ratiocinationis telam non patiatur perſpicuè pellucere.

6. Immodico luxu figurarum peccant multi ſcriptores, juvenes præcipuè, qui plani ſermonis loco ijs utuntur, neque alio commodo, quàm ut ſtylum figuris exornatum oſtentent; id quod in omni quidem genere ſcriptionum, ſed in Philoſophicis maximè vituperationem meretur, quippe quæ vel maximè gravitatem, perſpicuitatémque requirunt. Quid porro? in ipſis etiam orationibus, & Declamationibus, quæ utique plus faſtûs admittunt ac pompæ, age videamus, quod judicium ſuper figurarum uſu ferat is, qui à Seneca ſoli Ciceroni in

ora-

oratoria laude poſtpoſitus fuit. Eſt is PortiusLatro, cujus ſuper eâ re ſententiã hoc loco inſerendam duxi, totidem verbis, quibus refertur laudatúrq; à Seneca.

Putant illum(inquit, de Latrone, qualis in figuris fuerit, differens) (a) *hac virtute caruiſſe, cùm ingenium quidẽ ejus hac virtute abundaverit, judicium autem fuerit adſtrictius. Non placebat illi orationem inflectere, nec unquam rectâ viâ diſcedere, niſi cùm hoc neceſſitas coëgiſſet, aut magna ſuaſiſſet utilitas. Schemata negabat decôris causâ inventa, ſed ſubſidij, ut, quod aures offenſurum eſſet, ſi palàm diceretur, id obliquè & furtim ſubreperet.*

7. Sic ille. Et ſi mihi quoque fas eſt dicere, quid ſentiam de maximis ſcriptoribus: in horum aliorúmque ornamentorum uſu multum ſanè præſtare Tullius alteri Senecæ ac Lucretio videtur: nam poſtremus iſte caligine quadam ſtyli Poëtici (quam quidem auxit deinde ſermonis immutatio) non tantùm corpus, ſed ipſam ſæpenumero faciem ſententiæ cooperit: veſtis autem, quâ

(a) *In Proëm. Controv.*

frons tegitur, non tam cultus eſt, quo ornetur, quàm perſona, quâ tegatur. Seneca verò nobis haud paulò apertior eſt; ſed quantumvis in Naturalibus quæſtionibus plano ferè ſermone utatur, & argumentorum inopiâ potiùs, quàm ornamentorum luxu laboret, in Ethicis tamen ſententias ſuas Ibero Ambaro inficit, quod initio quidem voluptatem, in progreſſu verò moleſtiam affert, & caput obtundit. Adde: cùm is orationem è periodis minutatim, ac velut in atomos ſectis componat, ſubducit ingenio copiam, unico intuitu integrum argumentum contemplandi, atque adeò de re totâ ferendi judicium, cogítque ordinare potiùs ſyllabarum litteras, quàm ut legere permittat.

8. At Tullius, dignus, de quo Seneca ſenior pronunciaret, quòd in uno hoc viro populus Romanus par imperio ſuo ingenium habuerit, Ethicas diſputationes juſto lumine illuſtrat, quo non ſolùm ſplendidiores, verùm etiam clariores redduntur: ijsdémque veluti ſtillativum roſarum liquorem aſpergit, qui ſimul

mul & naribus blanditur, & cerebrum confirmat. Atque hæc ornamenta quis ambigat cum laude ab ijs uſurpari, qui bonas artes ſcribendo tradunt? Hinc namque idem Tullius meritò gloriatur, à ſe jacentem Philoſophiam excitatam in Latio, quæ à rudioribus quibusdam ſcriptoribus indignè habita fuiſſet, ſubdítque: (a) *fieri poteſt, ut rectè quis ſentiat, & id, quod ſentit, politè eloqui non poſſit; ſed mandare quenquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & litteris.* Itaque (ſubjungit, aptiſſimâ noſtris temporibus ſententiâ) *ſuos libros legunt ipſi cum ſuis, nec quisquam attingit præter eos, qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt.*

9. Et niſi fallor, non inveniam hac in parte, qui mihi adverſetur præter eos, qui ægrè ferunt, quidquam ab aliorum judicio commendari, niſi quod ab ipſis quoque effici poteſt: & quemadmodum

(a) *Prima Luce.*

iam Tullius alio loco ait, eandem ſibi ſperandi metam, atque alijs ſcribendi præfigunt.

Nimirum ijs vocibus, quas aliqui in ore habent: veritatem ſeipsâ tam formoſam eſſe, ut eam corrumpat, non comat, quisquis illi aliunde ornamenta velit adſciſcere: dedecere ejus honeſtatem ceruſſam & ſtibium: his, inquã, aliíſque in hunc modum ſtrophis aliud non ſubeſt, quàm libido quædam falſa metaphoris adornandi, ut ingenijs modici acuminis ficto in verum mendacio imponant. Quodſi hominibus conceſſum fuiſſet, Angelorum more cogitationes ſuas ſola voluntate manifeſtas facere, necquicquam profectò voces quæreremus: at cùm ad illarum manifeſtationem neceſſarium omnino ſit, ut quodam ſenſili colore pingantur, quæ obſecro, cauſa eſt, ut ſordidam carbonis fuliginem potiùs eligamus, quàm jucundiſſimas colorum amœnitates? Et cùm vaſe aliquo ſit opus, quo hunc liquorem ab unius animo deportemus ad alium, quæ ratio idonea eſſe poteſt, ut ſaluber-

rimum

rimum ſuccum, præcepta ſcilicet ſapientiæ, in ſordida, olidáque teſta, & ſtomachum motura propinemus magis, quàm in aureâ fragrantíque patera, quæ odore ac ſpecie ad bibendum invitet? Hic profectò locum habet celebris illa mellis ſimilitudo adhibita à Lucretio, quo vaſculorum, in quibus potio medica diluta fuit, oras illinimus, ut pueri eâ dulcedine illecti, promptiùs ad exſorbendū pharmacum adduci ſe ſinant.

10. Non permittam equidem hanc dulcedinem noxiam eſſe, quæve virtutem medicamenti corrumpat, quo fortè vitio non caret magnus ille ſcriptor, (a) qui in ſermonem Italicum prædictam ſimilitudinem tranſtulit. Sed nec illa placet dulcedo, quæ nativum ſaporem doctrinæ tollat: oportet enim ingenium ab omni fraude ſecurū eſſe; ſic, ut metuēdum ipſi non ſit, ne vinum, quo ſe proluit, ad illecebram quidem palati, ſed ventriculi injurias arte pocillatoris miſtum fuerit. Hanc ob cauſam, atque hac ipſa ſimilitudine monemur ab Ariſtotele,

(a) *Taſſus in Godefrido c. I.*

ſtotele, ſermonem nimis conditum, veluti ſuſpectum auditoribus, ne Oratori quidem ſatis aptum eſſe: quanquam hac in parte diſpar ſit Oratoris & Philoſophi cauſa, ut ſubinde demonſtrabimus. Dulcedinem itaque amo, qualis eſt ſacchari cibis aſperſi, quo ſapores alij condiuntur, non mutantur.

11. Præterea id etiam expeto, ut hoc ipſum ſaccharum quantùmvis innocuum ſapidúmque Didaſcalico ſtylo parca manu addatur, (a) id quod ſummi viri præcipiunt, qui in ijs orationis partibus, quibus plus ratiocinationis, & & major vis ineſt, majorem ſermonis æquabilitatem poſtulant. Quippe cùm hæ partes mentem requirant nulli alteri rei intentam, minutioribus ſcilicet litteris ſimiles ſunt, quæ in Virgine charta, nec vitiata coloribus, & ſine ludentis calami parergis ſcribendæ ſunt, ut ſic in oculos faciliùs clariúſque incurrant. Hanc ipſam verò membranam teneram juxta candidámque eſſe oportet, & has litteras, etſi ſimplices, tamen lepidas, & dextrè

(a) Ariſt. in Poëtica.

dextrè inter ſe, juſtáq; intervallorum intercapedine aptatas velim, ut adeò non tantùm citra laborem, verùm etiam cum voluptate perlegi poſſint. Utinam autem mortaliū animos tam potenti illicio nuda quoq; Sapientia ad ſe ſe pertraheret, ut quemadodū ſtellis ac ſoli, ſic ipſi quoque omnis injecta veſtis nubes prę illa videretur! Sed nimium quantum manifeſtum eſt, quàm diſcendi labor ab hominibus repudietur, ſi præter utilitatis dotem non afferat formæ quoque gratiam, & cultûs venuſtatem; non eam quidem puellæ, ſed gravis ac venerabilis matronæ. Et talis planè venuſtas eſt, & lepor, quem in Philoſophico Ciceronis ſtylo laudavimus, ſi quoque is ab amplificationibus, & affectibus ſubinde abſtineret. Talis demum & illa fuerit elegantia, quam in primo, nec adhuc corrupto autographo librorum Ariſtotelis, quos Exotericos dicimus, videre erat, niſi fortè is verba nimis avarè interdum annumerârit. Sed nempe curioſiſſima quæque problemata, quæ mortali occurrere ingenio queant, pertractaturus,

haud

haud potuit in ſingula liberaliter verba diſpenſare.

12. Secundùm hæc aio, Philoſophicum ſcriptorem neutris ex opinionibus inter ſe pugnantibus addictum animũ præſe ferre debere, ſed unam amare veritatem, ubicunq; demum eam repererit. Non ita tamen nullo rerum ſuarum ſtudio duci debet, ut perinde ipſi ſit, librum à ſe conſcriptum legi, aut negligi: cùm ille præcipuus ſcriptionum omnium ſcopus ſit. Atqui experientiâ docemur, elegantiam ſtyli, (elegantiam dico, non affectatum nitorem) magnetem eſſe, cujus virtute oculi in paginas attrahantur, Cedrum eſſe, quæ libros reddat immortales, & ſine qua demum vix invenias, qui ferre ætatem, & à tinea temporum ſe vindicare potuerit. Immò Doctori non modò fas eſt, percupidum ſe ſolicitúmq; demonſtrare, ut ſua ſcripta legantur, verùm etiam ut fidem inveniant. Neque tantùm laborandum ei eſt, ut vera doceat, verùm etiam, ſi præſtare utrúmque poſſit, ut placeat. Atque his geminis partibus ab Oratore Philoſophus differt,

fert. Oratori etenim, quemadmodum Ariſtoteles paulò antè laudatus advertit, ornamenta manifeſta vitanda ſunt, ut ne apparatiore illâ diligentiâ prodat immodicum ſtudium, fidem ab Auditoribus extorquendi: & quia in id tantum incumbit, ut perſuadeat, (a) haud eſt ei curæ (quod idem ille Præceptor notavit) ipſe per ſe cultus orationis, ſed hoc accidit ob pravitatem humani ingenij, quod perſuaderi ſe non patitur à ratione explicata, niſi eadem etiam blandiatur. Quapropter obſervandum eſt, Oratorem, cùm Auditores permovere nititur, ſive ad ſtatuendum aliquid, ſive ad bonam malámve de aliquo concipiendam opinionem, facilè in ſuſpicionem venire, ne fortè utilitate aliquâ ſuâ moveatur ad verba menti pugnantia effingenda. Hæc autem ſuſpicio tum maximè invaleſcit, cùm grande in loquendo artificium oſtenditur: quia ſcilicet ita fieri amat, ut exquiſitum artificium, quippe laborioſum, nemo adhibeat, niſi cum magna in ipſum artifi-

cem

(a) 3. *Rhet.* c. 1.

cem utilitas redit, aut ubi neceſſarium eſt, ut veritati ſua lux adimatur.

Verùm ij, qui ſcientiam aliquam tradunt, de ſummis & generalibus problematis agunt, circa quæ nihil profectò ipſorum intereſt, unam præ alia parte perſuaſiſſe; niſi fortè pro alterutra ſententia ſe in litem commiſerint, vel ſcribant in ſuæ religionis favorem. Quocirca, ubi hæc duo abfuerint, ſcriptori conceſſum eſt demonſtrare ſtudium, lectores in ſententiam aliquam pertrahendi, cùm hujusmodi ſtudium exiſtimari non poſſit eo fine adhibitum, ut ductis in fraudem lectoribus, ſcriptor ſuis commodis conſulat, ſed tantùm ut eos doceat, quod in ipſorum cedit utilitatem. Atque ita videmus Ariſtotelem ob ſimilem fortè rationem, majorem ſtyli cultum Hiſtorico, quàm Oratori conceſſiſſe. Deinde quemadmodum Præceptor, non proprio commodo, ſed aliorum eruditioni ſcribit, ſic illud eſt quidem ultra leges, quibus teneatur, non autem præter id, quod in univerſum ſibi proponit, ſi in auditoribus cum

vera cognitione (quam doctrina parit) etiam honeſtam excitet voluptatem phraſis adjumento.

13. Unicam admitto exceptionem, nempe cùm res ſummam habet ſubtilitatem, & difficultatem. Tum enim omne ornamentum inter vitia numeratur, eò quòd ratiocinationi, cui ſervire ſcriptor ex profeſſo debet, officiat. Quippe ornatus omnis partem attentionis ſibi vindicat, adeóque furis inſtar ſurripit, neque jam pro famulo ſe gerit, quando totam attentionem ſibi argumentum ipſum poſcit. Sicut diſtinctiùs rem quampiam minimâ luce conſpicuã pervideas, excludi omne aliud propinquum lumen neceſſe eſt, totámque adeò aciem oculorum in illam unam intendi. Et iſta quidem, quæ attuli, magnis exemplis firmantur: quandonam enim Euclides, Archimedes, Apollonius acutiſſimis Geometricæ inventis vel leviſſimam ſtyli amœnitatem induxerunt? Aut quando Ariſtoteles, qui, quod à me dictum eſt, in Geometris animadvertit, in divino illo formæ ſyllogiſti-

giſticæ invento vel unicam voculam vernantis ingenij floſculo exornavit, quorum tamen alibi ſe minimè ſterilem eſſe demonſtrat? Idémque omnino agi conveniet, quoties ſeveriſſimam Metaphyſicam, quæ hodie in Lycæis regnat, tractandam quis ſuſceperit. Quæ ratio eſt, ut hac in parte Scholaſticos noſtri ævi Doctores abſolvam; neque enim ideo parum laboris relictū ijs eſt, in ipſa explicatione rerum, licèt ad eam exornandam non cogantur. Ordo, claritas, brevitas, uti arduæ ſunt ac raræ dotes in his, qui abſtruſioris Philoſophiæ calles inſiſtunt, ita ſi adſint, viámque per illos labyrinthos muniant, laudem admirationémque majorem merentur. Illud quoq; hic nobis ſuccurrat, in magnificis ædibus conſtituendis plus impendij artíſque requiri, ut juſtâ partium conformatione conſtent, quàm ut auro illinantur. In ipſa quoque norma loquendi omnia privilegia, ſi non ut laudabilia, ſaltem ut licita illis permitto, quæcunque conſuetudo ijs utenda dedit. Gaudeant ſanè inductis

olim

olim immunitatibus, non tamen ipſi novas inducant, receptas quoque ſic uſurpent, ut illuſtres Poëtæ ſolent, qui conceſſam ſibi licentiam non niſi pudenter, & cum emolumento ſumunt. Ita ſcilicet apparebit, hujuſmodi immunitates ab illis non inſcitiâ, vel incuriâ uſurpari, ſed conſultò, & de induſtria admitti: quemadmodum etiam S. Thomas altiſſimæ ſapientiæ vir, hanc (ut ſic dicam) urbanitatem ſtyli in reliquis retinuit, quantum quidem per ætatis illius barbariem præſtari ab ipſo potuit. Certè nemo negaverit hujus orationem ſuaviùs legentium animis illabi, quàm Holkoti, vel Okami dictionem. Verùm quæ hactenus diſputata ſunt, tum meliùs patebunt, cùm de ſtyli elegantia ſuo loco copioſiùs diſſeremus.

14. At verò non video, cur in quæſtionibus naturalibus vel Ethicis hæc ſtyli inſulſitas non arguat vel palati vitium, ſi eam ames, vel condimentorum inopiam, ſi illam non voluntate, ſed neceſſitate adhibeas. Fatendum tamen,

eum longè meliùs de Rep. humanâ mereri, quicunque reconditos ſapientiæ theſauros, quanquam adhuc cœno permiſtos primus commonſtret, quàm qui eos deinceps expoliat, ſplendidámque illis ſpeciem induſtriâ ſuâ circumdet. Fateor itidem, præſtare Adamantem vel plumbo incluſum, Beryllo, cujus pala ex auro ſit: denique eos, qui ritè philoſophantur, laudem ampliorem promereri, quàm qui bene dicant: & Ariſtotelis libros, licèt ſermone maximè barbaro conſcripti eſſent, dignos nihilominus futuros, qui aurei illius, quod ſub Auguſto floruit, ſæculi beatæ latinitati longiſſimè anteferantur. Sed aliud nimirum eſt, ſi dicas Principem virum, etiam centonibus malè tectum, majore reverentia dignum eſſe, quàm privatum hominem gemmis ornatum; aliud, ſi velis, Principem decentiùs amiciri centonibus, quàm gemmis ornari.

Ex ijs porrò, quæ hactenus diſſeruimus, colligi poteſt, quid ſit ſplendor dictionis, quid figuræ, & quantum hæc duo ornamenta atque univerſùm orna-

tus Doctori licentiarum, minùs magiſque ſubtilium conveniat.

Caput V.

De numero univerſè, & quis ſeveriorum Diſciplinarum tractatus deceat?

1. NUmeri artificium in ſoluta oratione Herodoto, aliiſque ante illum Græcis ſcriptoribus ignotum, Thraſymachus & Gorgias inſtituêre: ſed in hoc primùm vini repertorem imitati ſunt, quem nova hæc ſuavitas ultra temperantiæ leges ad ebrietatem usque invitavit. Iſocrates ſubinde ultimam ei manum impoſuit, moderatus primùm nimiam dulcedinem, quam priores duo invexerant, tum ætatis peritioris magiſterio illam quoque, quam ipſe in juventutis flore hilaritatéque retinuerat. Cicero præ Ariſtotele, aliiſque hanc artem prolixè acutéq; in idea, quâ perfectum Oratorem format, proſecutus eſt; quo loco quorundam opinio-

nionem refert, arbitrantium, ſoluta m. orationem ſuâ naturâ impatientem numeri eſſe; quam ſententiam reprehendens: (a) *Iudicat enim*, inquit, *ſenſus, in quo iniquum eſt, quod accidit non cognoſcere, ſi, cur accidat, reperire nequeamus. Neque enim ipſe verſus ratione eſt cognitus, ſed naturâ, atque ſenſu, quem dimenſa ratio docuit, quid acciderit: ita notatio naturæ & animadverſio peperit artem.* Hæc ille: neque tamen inveſtigare porrò pergit, quî fiat, ut hic numerus præ alio auribus probetur. Et ſanè hæc quæſtio inquiſitionem operoſam poſtularet. Sufficiat hic adumbrâſſe, atque in exiguam tabulam, quodam picturæ compendio, contraxiſſe, quæ ſuis expreſſa menſuris magnam (ut ſic dicam) ædium faciem implerent.

2. Manifeſtâ experientiâ compertum habemus, non auditum modò, verùm etiam viſum, omnéſque adeò ſenſus rerum quarundam, quæ illis objiciuntur, certis miſturis vel deliniri, vel affligi. Et profectò ut acriora quæque ſen-

(a) *In Oratore.*

ſenſui moleſtè acciderent, nempe quæ nimiam ſpirituum turbam ad ſentientis facultatis ſedem agunt, quorum vehementiâ laceratur illa, corrumpitúrque; ſapienter à natura inſtitutum fuit, ut ſic admoneretur animal rem illam vitare, utique nocumento futuram. Eâdem ratione clarum eſt, cur res quæpiam aptè temperata delectet, nempe quòd operam conferat, juſtæ eorundem igniculorum cohorti è cerebro in organum deducendæ ad illius ſensûs officia, qui ſpiritus, dum hinc inde commeant, id videlicet præſtant, ut aperti ſemper ſint canales mutuo commercio interiorum facultatum, viriúmque externarum, ſine quo hi canales ſitu ſqualerent, ſpiſsíſque humoribus repleti deinceps innavigabiles, ut ita loquar, redderentur.

3. Cur autem in alijs quoque, ubi rationes iſtæ locum non habent, talis aut lineamentorum, aut vocum proportio tanta voluptate aures, oculóſve detineant, arduum eſt divinare. Ego quidem ſuſpicor, duos eſſe hujuscemodi voluptatis fontes; primùm quidem, qui

ad ipſum ſenſum pertinet, juſtum quodd
dam quietis & exercitationis temperamentum arbitror eſſe, quod per varia temporis momenta ſibi continuò ſuccedentia capit auditus: tale, inquam, temperamentum, quod ad ipſum ſentientis facultatis organum conſervandum deſerviat. Alterum, eúmque copioſiorem, utpote qui ad nobiliorem facultatem ſpectat, exiſtimo eſſe uniformem quandam, ritéque ordinatam diverſitatem, quâ ſcilicet opera artis, quæ pulchri efformatrix eſt, diſcernuntur ab ijs, quæ caſus, deformitatis author, producere conſuevit. Exiſtimo itaque maximam partem delectationis, quam numerus parit, oriri, ex ea animadverſione, quâ tacitè ſecum ratio expendit parilem illam & ritè ordinatam varietatem, quæ in rebus objectis elucet. Ex qua occulta notatione illam quoque delectationem procreari crediderim, quam auſcultantibus muſicam affert animadverſio præceptorum, ultra vulgarem illam delectationem, quam vel ipſa modulorum natura, vel vocis tenor ſuggerit.

Huc pariter eam voluptatem refero, quæ omnibus hodie gentibus Rhythmi amorem conciliavit: nempe quia omne id, quod recta partium proportione conformatum eſt, pulchrum apparet, ideóque jucundum: contrà verò quidquid diſſidentibus membris diſtortum eſt, turpe & illepidum videtur, atque adeò grave accidit animo illud percipienti: & quia proprium humanis ingenijs eſt, ſecreta ambitione ſibi gratulari, dum innatam intelligendi vim in artis, aptæque partium conſenſionis notatione exercent. Verbo: dum marte ſuo, hoc eſt, ratiocinando novum ſe profectum feciſſe, deprehenſa quadam veritate conſpiciunt: id quod Ariſtoteles in ea oblectatione, quam antitheta pariunt, divino ingenio animadvertit.

4. In cujus rei confirmationem valet, quod videmus, bruta nec numero periodorum, nec rhythmo affici, quippe quæ voluptatem illam à ratione petere haud queant. Lineamentorum quoque, colorúmque proportio minimam ijs oblectationem, ſed tamen aliquam affert,

ut notamus in Pſittacis; fortè quia ex coloribus aptè temperatis plus commodi naturalis in oculos, quàm ex numero in aures derivari ſentiant: nam hujusmodi diverſitatem, nos quoque experiri quodammodo nobis videmur. Illud dein ſecundæ confirmationis inſtar ſit ad demonſtrandum, præcipuam Numeri ſuavitatem ex iſta mentis animadverſione promanare, quòd videamus eundem prorſus numerum pro argumentorum diverſitate jam placere nobis, jam diſplicere; nempe quia deſideramus decentem quandam concordiam inter vocum tenorem, ſive blandum lepidúmque, ſive gravem & aſperum, atque res ipſas ijs vocibus ſignificatas.

5. E contrarijs cauſis contraria effecta naſcuntur; unde pronum eſt ex ijs, quæ diximus, originem quoque illius moleſtiæ colligere, quâ inconditus Numerus aures offendit. Id nimirum evenire aſſolet, tum, quia hic diſſidentibus membris oſtendat, ſe casûs abortione magis, quàm ab arte prognatum fuiſſe, atque

adeò

adeò abſurdus, & ſenſui ingratus videatur: tum, quia æqualibus temporum intervallis inæqualem igniculorum multitudinem ad ſensûs organum impellat, nulla lege, ſtabilíque tenore, unde ſemper aut vehementia aut lenitas ſenſationis præter expectationem accidit, multúmque diverſa ab illa, quam prioris experientia promiſiſſe videbatur. Hinc namque fit, ut virtus æſtimandi interior decipi ſe, fruſtraríque ſua expectatione in momenta deprehendens, quodammodo indignetur: fortè faſtu quodam, ob quem facultatibus cognoſcentibus odio ſunt omnia, à quibus in errorem inductæ fuêre, ſi quando id nullo ſingularis emolumenti fructu accidit, qualem interdum ex improviſa alicujus veritatis acquiſitione decerpunt. Atque hactenus in reconditiſſimi Problematis inveſtigatione proceſſiſſe ſufficiat, in qua nullo præeuntium notata veſtigio eundum nobis fuit. Jam à Theoricis deſcendamus ad practica, quæ, utpote magis neceſſaria, minoribus tenebris natura velavit.

6. Scriptioni didaſcalicæ Numerus debetur ejuſmodi, qui neque turgeat faſtu, nec mollitie fractus laſciviat: non enim harum ſcriptionum officium eſt, vel blandè aſſentari, vel ampullari magnificè: ſed gravem juxtà & amabilem oportet eſſe, qualem ſcilicet adhibere decet nobiles comésque amicos, qui in ſeria colloquia præparati deſcenderint. Interdum tamen attolli numerus poterit, vel cùm propriam ſententiam rationibus firmamus, vel cùm refellimus alienam: nam & familiaris quoque ſermo hac parte vehementior eſſe ſolet, atque pugnacior, plúsque efficacitatis, ut in ſono vocis, & pronunciatione, ita in numero periodi admittit. Breviter in hujuſmodi ſcriptionibus talem plerumque numeri, qualem conſpiciliorum diſpoſitionem eſſe oportet, quæ tunc eſt optima, cùm cryſtallus placidè quidem rem ipſam objicit oculis, ſui verò conſpectum ijsdem ſubducit.

7. Propria Sophiſtarum (qui orationem non ad perſuadendum, ſed ad ſolam delectationem comparabant) ver-

borum

borum tranſpoſitio fuit, ideóque ab ijs haud diſſimulanter quæſita, ut aurium voluptati ſervirent: non ſecùs ac pictores colorum varietatem in oculorum gratiam aperto artificio diſponunt in tabellis. Verùm difficilius, atque ideo mirabilius majoréque dignum eſt laude artis opus, tanquam non ab arte profectum proponere. Quocirca universè illud ſcriptum præ reliquis ſe commendabit, in quo verba ſic ſibi mutuò aptentur, ut ſuavitas numeri non operosè ab Authore arceſſita, ſed vocibus, quibus ſententia exponitur, ſuâpte naturâ congenita eſſe videatur. Tranſpoſitiò præterea ſemper obeſſe conſuevit, ut quæ claritati adverſatur, atque eo nomine ab Ariſtotele in Oratore damnata eſt. Id quod longè magis locum habet in Philoſopho, cujus ſenſa, uti ſubtiliora, & altiora, meliori in lumine collocanda ſunt. Neque etiam ſilentio præteriri debet, Metatheſim peculiari ratione plus tenebrarum, adeóque plus vitij inferre Idiomatibus, quæ à Græco Romanóque diverſa ſunt: in his enim

cùm genere neutro, & caſuum varietate deficiant, ingratiſſimâ ambiguitate ſententia implicatur, niſi adjectivi cum ſubſtantivo, & relativi cum abſoluto proxima conjunctio, & rectus verbo è veſtigio ſubſequenti præmiſſus, omnem ſermonis ambiguitatem procùl removerit.

8. Hinc Itali ſenſim deſciverunt à flexuoſo illo, circumductóque dicendi genere, quod Boccacio in uſu fuit, cujus quidem exemplum Bembus, aliíque ejus ætatis Scriptores ſecuti fuêre. Cùm enim ſe totos ad imitationem Tullij convertiſſent, non diſtinxerunt communia cujusque Idiomatis decora ab ijs, quæ ſingularia ſunt illi tantùm generi, quo Patria lingua Tullij continetur: veluti ſi Medicus omnia illa pharmaca propinaret in Italia, quibus Hippocrates populares ſuos medicatus in Græcia fuit, nullo diſcrimine facto inter ea, quæ omnium hominum ſaluti in commune deſerviunt, & quæ ſingularem quampiam corporis temperiem requirunt.

9. Ne-

9. Neque minore cura vitanda ſunt tria illa vitia, ab eodem Cicerone Oratori ſuo, quamvis aliam ob cauſam, vetita. Primùm inutilia vocabula, & ad explendos numeri hiatus intruſa: demit enim facilitas admirationem, atque voluptatem; & quidquid ſuperfluit, cùm ſine utilitate moras inijcit, grave ſolet eſſe curioſitati hominis, qui doctrinæ ſtudio legat. Alterum eſt, affectata inciſio partium orationis, quæ ſententiam membratim dividat, enervétque, atque ideo non patiatur illam ad ingenium cum ea integritate pervenire, à qua formam pariter ac robur ſuum mutuatur. Demum, ne eodem ſemper tenore, & velut in orbem concluſa decurrat oratio, idémque adeò numerus inſiſtat in ſingulis perfectis abſolutíſque ſententijs, quod niſi carminis cogente fiat imperio, inopiam notat, ideóque contemnitur. Et forſan à prima tertiáque labe non prorſus immunes ſunt gemini hac noſtra ætate nitidiſſimi Hiſtoriographi, Latinus atque Italus, uterque periodi ſuavitate mirabilis. Prior eſt Orlandinus noſter,

prorſus elegans, concinnus, ſonorus; ſed qui hoc poſtremum decus tanto ſtudio conſectatus fuit, ut ejus Hiſtoria metri potiùs vinculis adſtrìcta, quàm ſoluta in Proſam eſſe videatur. Quapropter numerus, quem is adhibet, hoc ipſo minùs placet, quia nunquam non placet. Poſterior, qui Italicè ſctipſit, Cardinalis eſt Bentivolus, qui purpuram ſcriptorio atramento novit illuſtrare, & nihil moratus devexam in ſenium ætatem, domeſticáſque calamitates, præcipuis hujus linguæ ſcriptoribus ſe ſe inſeruit, tum ſtyli cultu, tum etiam ſententiæ gravitate. Verùm hic numeri granditatem ac plenitudinem tam ſollicitè deperijt, ut quò eum ſuffulciret, compleretque, dedignatus haud fuerit quarundam, cæterà ſterilium & otioſarum particularum frequentiam, quæ ſicut Arni latex generoſiſſimum Ethruriæ falernum diluit, ita ſententiarum vigorem non nihil refringunt. Neque verò temeritatis me quiſquam arguat, quòd ad examen, ac velut ad Tribunal meum revocem tam illuſtres ſcriptores,

aut

aut ingrati animi notet, quòd eorum vitia perſtringam, quorum alteri ſocietate vitæ, alteri animi conjunctione præcipuè ſum obſtrictus. Debent enim artium Profeſſores non niſi præcellentium artificũ peccata comemorare, quippe quæ & difficiliùs agnoſcuntur, & periculoſiùs alios ad ſui imitationem pelliciunt, ob nominis videlicet Majeſtatem, in cujus luce perexiguæ iſtius modi maculæ ceu totidem radij ſuſpiciuntur. Sanè authoritas exempli ad inauranda vitia tantùm valet, ut magni cujusdam Philoſophi (a) linguam in has voces ſolverit: antè ſe temulentiam virtutis nomine honoraturum, quàm ut fateretur peccâſſe Catonem. Cæterùm, ſi juſta lance res trutinentur, non poteſt homini exoptatius elogium ſcribi, quàm ſi in eo reprehendantur pauca, commendentur quàm plurima. Sed, ut ad tria illa vitia, quorum meminimus, revertamur, ſecundo eorum, ultra omnem ſpem veniæ, Seneca è Philoſophis indulſit; cujus dictio non aliud de numero habet, quàm quòd

(a) *Seneca.*

membris individuis, & inſecabilibus conſtet, in quo planè *Numerum* à *Continuo* Philoſophi diſtinguunt. Ille tamen nactus eſt, qui ſequerentur: unde apparet, veriſſimum eſſe, non majorem trahendi vim Magneti adjici, conjuncto plurimo ferro, quàm vitio addatur ex multarum ſocietate virtutum.

10. Nemo autem me prolixitatis, operæ pretio majoris, condemnet, ratus Numerum haud magni momenti rem eſſe. Quin imò meminerit ille, Harmoniam unicum Eloquentiæ decus eſſe, quod ſenſui quoque perſpectum ſit. Infert ea ſe auribus, quas ferè omnes ſatis argutas habemus, cæteræ ſermonis dotes ſoli intelligentiæ ſe probant, quam pauci Sapientem nanciſcuntur. Quapropter omnes, qui poſt Tullium dicendi artem tradidêre, operosâ diligentiâ Numeri leges ſcripſerunt. Atque ſecundùm alios Bembus ſuper eo diſputat in ſecundo de ſermone Italico libro; quo loco, quidquid ad auditum pertinet, in tres animadverſiones diſtribuit. Prima eſt *ſoni*, ut is in omni elemento, tum voca-

vocali, tum conſono conſideratur. Altera eſt *Variationis.* Poſtrema, quam peculiari nomine *Numeri* appellat, verſatur in collocatione ſyllabarum brevium, longarúmve, hoc eſt, quæ vel accentu acuto ſuſtentantur, vel eodem deſtituuntur: ex quo ſolo omnis hodie uſitata per Europam temporum brevitas atque productio pendet.

Hæc de Numeri artificio dicta ſufficiant, nempe in quo voluptas, quam ille parit, verſetur; quando, quouſque, & quomodo Præceptori quærendus: quæ vitia fugienda in ejus proſecutione, quíve in eâ re peccaverint, & denique quanti pretij ſit, & dignitatis.

Caput VI.

De uſu ſententiarum ſeverioribus Diſciplinis proprio.

1. SEntentiæ aliud denique non ſunt, quàm effata quædam ejusmodi, ut ſimul atque proponuntur, mentem humanam, nullo alterius perſuaſionis ariete admoto, ad aſſentiendum impellunt. In hoc tamen iſtæ ab ijs, quæ proprio vocabulo *Prima Principia* vocitamus, diſſentiunt, quòd hæc rerum, ut ita dicam, totidem vocibus ſe ſe aperiant, ut ea omnes propriâ notatione comperta, mentéque comprehenſa antè habeamus. Qualia ſunt: *Totum eſt majus ſua parte*: *Quæcunque magnitudine æqualia ſunt uni tertio, eadem ſibi mutuò congruunt*: cùm priora illa, verè licèt dicta, non niſi à perſpicacibus advertantur. Hoc autem eſt utriſque ſententijs commune; quòd ad ſui confirmationem non alijs teſtibus indigeant, quàm ut exerta facie ſe dent in conſpectum, quód-

quódque adeò illas ſimul animo concipias, ſimul probes: ſive hoc è congenita ipſis evidentia oriatur, ſive à ratione jam explicata, jam involuta, quâ eas author ſubinde ſuccingit. De qua re more ſuo Ariſtoteles mirè diſſerit 2. Rhet. Hujuſmodi eſt, exempli causâ, illa apud Livium: *Ipſa vincendi neceſſitas maximum ad victoriam momentum affert*; aliáque alterius cujuſpiam: *Minæ ſcutum ſunt illius, cui intentantur*. Talis illa quoque ingenioſi cujuſdam noſtro ævo ſcriptoris, ex eodèm Ariſtotelis loco deſumpta:

Quæcunque miſcent odia mortales, decet,
Et ipſa ſint mortalia.

2. Extra dubium eſt, hujuſmodi axiomatum frequentiorem uſum bonarum artium Magiſtro maximopere convenire: cùm enim is ratiocinatione aliam atque aliam veritatem è jam antè cognitis eruere debeat, cúmque id obtinere ſemper haud poſſit illarum tantùm adminiculo, quarum notitiam humanis mentibus natura inſculpſit, hæ quoque in partem venire debent, quæ priùs de

facie

facie ignotæ, ubi primùm earum ſpecies objecta eſt oculis, continuò mentem rapiunt in ſui complexum. De quibus præcipuè, meo quidem judicio, locutus eſt Ariſtoteles, cùm ſapientiam ex habitu primorum principiorum & ſcientiâ compoſitam eſſe dixit: non enim ea, ut arbitror, principia intellexerit, quæ, cùm nota ſint univerſis, non magis ſapienti, quàm indocto propria ſunt: ſed illa potiùs vera, quæ & probationis non egent, & à ſapientibus diligenti obſervatione deprehenduntur. Advertit nihilominus Ariſtoteles, ejusmodi dicta non promiſcuè in re qualibet, ſed in ſolis ijs, quæ ad vitæ humanæ inſtitutionem referuntur, *Sententiarum* nomine cenſeri. Atque iſtæ, ut ego exiſtimo, Ethico Philoſopho accommodatiſſimæ futuræ ſunt.

3. Veruntamen in ſcriptionibus, quæ ad ſcientiam aliquam informant, hæc axiomata exprimenda non erunt eo acumine dictionis, quod ex communi loquentium uſu exigunt, ut ſplendida *Sententiarum* appellatione mereantur

tur inſigniri. Haud enim decorum fuerit (ut alio fine Tullius monet) inquirere ſemper, ut verba verbis paria reddantur, ut contrarijs è diverſo contraria opponantur, & fines finibus ſimili exitu ſonóque reſpondeant. Indignari quippe Lector ſolet, dum importuna vanitas Authoris toties ipſum moratur, revocátque à ſerio argumento ad exigui illius artificij admirationem, quod in ejusmodi themate neque ſcriptoris diligentiam, neque attentionem Lectoris promerebatur. Atque hoc eſt illud genus dicendi, quod *affectatum* appellamus, nempe quod de induſtria, & ſtudio ultra operæ pretium ſedulò quæritatur.

4. In Quæſtionibus tamen, quæ ad mores pertinent, ut quæ lectorum ingenia ſuâ difficultate minùs fatigant, fateor poſſe frequentiùs iſtorum luminum dulci fulgore legentem perſtringi. Et certè id Senecam neutiquam latuit, qui eorum uſum in quæſtionibus naturalibus ſibi propè interdixiſſe, in Ethicis verò omnia illo auro illinere voluiſſe videtur.

tur. Sed in hoc quoque prudentiam Ciceronis magis miror, cujus ſtylus appoſitè à Seneca gradarius dictus eſt; non eò ſolùm, quòd, ut ipſe notat, pedetentim procedat, ſed etiam, quòd equi ritu ad itinera, quàm ad theatrales ludos comparatioris, minùs quidem ſubſiliat, verùm plus conficiat viæ: ſic ut nec tantopere ſuccutiat equitem, quàm Hiſpanus ille Senecæ Aſturco; neque ſub occaſum ſolis in eo propemodum loco deſtituat, unde ſub auroram provexit. Quin imò erit aliquando modeſtior ſimul atque vivacior ſententia non explicata, neque cum pompa producta, verùm ſic involuta, tanquam Lectoris diligentiâ perficienda relinqueretur. Exemplo ſit illud Taciti: *Immitior, quia toleraverat*: quoniam cùm audimus rem quampiam ceu alterius cauſam exponi, animadvertimus ſcilicet, illas frequenter conjunctas eſſe ſolere: atque adeò dictum illud hunc in animo meo ſenſum excitat: *Ferox ingenium, ſi quando poſt multas ærumnas rerum potitur, cùm miſereri in aliјs ea mala deberet, quæ priùs*

per-

pertulit, vult è contrario, ut toleratas à ſe olim calamitates ipſi quoque patiantur, ne ſcilicet eorum ſors potior ſuâ, atque beatior ſit.

5. Secundùm hæc præceptori ſtudioſiſſimè cavendæ erunt eæ ſententiæ, quæ aut falſæ ſunt, aut operosè ſtabiliuntur: quanquam, ſi proferantur audacter, ob quandam ſuarum partium conſenſionem, fidem apud vulgus inveniant, ideóque ab Oratoribus tanquam fini ſuo idoneæ magno commodo uſurpentur. Nempe cui propoſitum non eſt docere, ſed perſuadere, is rectè imitabitur Nobilium virorum conſuetudinem, qui faſtum in ſpectaculis oſtentaturi, ornamenta diligunt ſpecie quàm pretio præſtantia. Diſpar autem eorum ſcriptorum eſt ratio, quibus ex officio ſuo incumbit, doctrinam dare, non verba. Quippe iſti in ſententiarum ejusmodi uſu, vanitatem, aut debilitatem ingenij oſtendunt. Qua in re ſanè à noſtri ævi ſcriptoribus multò ampliùs, quàm ab antiquis peccatur: cùm enim illorum non pauci nec à ſcientia nèc ab eruditione

ſatis

ſatìs inſtructi ſint, non qualemcunque tamen in Parnaſſo ſedem ambiunt, verùm etiam haberi pro Oraculis, & dijudicandi ſibi jus arrogare contendunt: ignari profectò illius, quod ab Ariſtotele annotatum fuit, rudes, agreſtésque homines in ferendis ſententijs multos, atque animoſiſſimos eſſe: quam tamen ille pronunciandi confidentiam, ceu alienam atque indecoram, damnat, præterquam in ijs, quos longa experientia, aut ætas erudivit. Quis autem obſecro (liceat hîc mihi exclamare) ſi modò in pretio & amore litteras habeat, ſine ſtomacho audire poſſit à ſcriptore hujus temporis nobiliſſimo, (a) acutiſſimóque, nomen ſibi adſciſcere degenerem aliquorum ſtylum, qui Philoſophiâ, ingenio, arte deſtituti, res vulgò tritiſſimas caligine phraſis prementes, ad ſingulos verſus ſententias exſpuunt, ſed nempe ſententias ejusmodi, quæ nihil differant à ſputis, frigida ſcilicet indigeſti cerebri excrementa? Cùm ille, cujus ſe ſe veſtigijs inſiſtere ſuperbè mentiun-

(a) *Marchione Virg. Malvetio.*

tiuntur, ſubtiliſſimis ſemper ſenſis, ſemper novis, ſemper grandibus, ſemper, cum argumento conjunctis, copioſiſſimè affluat. At non uni tantùm ex illuſtribus ſcriptoribus ejusmodi injuria imponitur; quin pretioſiſſima quæque adulterari conſuevêre. Quisquis magnificis ſomnijs Philoſophiam (a) contexit, is Platonicum ſe vocat; qui eandem vocabulorum ſcabritie exaſperat, Peripateticum ſe dicit; qui ſolutam ligatámque orationem jejunè & ſine acumine deducit, Ciceroniani aut Virgiliani titulos ſibi arrogat:

Qui non Pegaſeo ſedet caballo,
Sed ſellâ phalerisque inerme tergum
Clitellarij equi premit. - -

Supparem Ovidio ſe gloriatur. Temerarius & tenebricoſus ſcriptor Statij ſe venditat aſſeclam: & inter Italos, qui carmen pangunt tetricum, languidum, & interdum caducum, Petrarchæ idem ſcribendi genus fuiſſe gloriantur. Sed enim meminiſſe iſti deberent, non quacunque ſimilitudine, quæ cum rebus excel-

(a) *Vide Quintil. l.* 10. *c.* 2.

cellentibus intercedat, gloriam comparari: quoniam, ut rectè Ariſtoteles notavit, equo quadrupedum generoſiſſimo magnopere aſſimilatur pecus illud, quod eſt ignaviæ ſymbolum. Eadem qualitas, ut diverſimodè rebus conjungitur, laudis eſſe aut ignominiæ argumentum poteſt. Firmitas in malo, pertinaciæ vitium, eadem in bono, conſtantiæ virtus appellatur.

6. Ego certè, ut in univerſum hac de re pronunciem, ſtylum illum præ cæteris probaverim, quem ſententiæ ornent quidem, haud tamen pertexant. Idem prorſus, quod vinum inter corporis alimenta præſtat, efficiunt ſententiæ in ſcriptionibus, quæ pabula ſunt animorum: ſcilicet modicâ copiâ ingenium ſublevant, nimiâ opprimunt.

Caput

Caput VII.

De comparationibus, ſive ſimilitudinibus, tum tacitis, & adſtrictis, tum expreſſis atque explicatis. Duplex earum utilitas: & quandonam ad probandum, aut confutandum valeant.

1. INter cætera dicendi ornamenta poſtremo loco à me poſitæ fuerunt comparationes, quæ fortaſſis dignitate ſunt primæ. Certè Metaphora, quæ tacita quædam comparatio eſt, Regina figurarum appellatur. Avidum nempe ſciendi ingenium ad explendam famem ſuam duplici cognitionum genere utitur. Primum eſt earum, quas *abſolutas* dicunt, quòd in rem, prout ea eſt in ſeipſa, unicè obtutum defigunt, nulla interim habita ratione earum proprietatum, quæ fortè eidem rei, ſi cum alijs comparetur, conveniunt. Hæc verò poſterior cognitio *comparativa* dicitur, quæ nimirum, pluribus ſimul rebus ſub aſpectum poſitis, expendit, quomo-

do

do illæ ſibi mutuò reſpondeant, ſive tanquam cauſæ atque effecta, ſive ut ſimiles diſſimiléſve, ut amicitiæ, aut ſimultatis, proportionis, aut difformitatis aliquid habent. Et hæc quidem ultima cognitio uberiùs explet aviditatem ingenij, ut quæ rem objectam exquiſitiùs percipit, & ex unius veritatis notitiâ ad aliam porro ſibi viam ſternit: ideóque longè potentiſſimum & ſcientiæ inſtrumentum. Sed enim ea intelligentiam requirit, cui longiores ſint manus, ita ut eas poſſit ad varia & remotiſſima protendere, eáque uno amplexu colligere. Hinc Ariſtoteles ſimilitudinũ inventionem magni dicebat eſſe ſignum ingenij. Sanè vix credi poteſt, quantam illæ lectoribus voluptatem afferant: cùm enim delectatio tum maximè intendatur, ſi quando plures deliciæ in idem tempus, eandémque actionem confluxerint, hîc profectò maxima voluptate lectorem perfundi neceſſe eſt, cùm una cognitione, eodémque temporis articulo aliam aliámque veritatem percipiat: ídq; non ſine admiratione, quæ ipſa quoque volupta-

luptatem exaggerat; cùm nempe concordiam quandam rerum ſibi videt proponi, quas antehac putaverat nihil habere inter ſe ſe commune.

2. Id verò tribus modis confici poteſt. Primus eſt tacitus & involutus, ut ſi humanam gloriam vento comparaturus, dicas: *Gloria humana ventus eſt*, non nominata, ſed indicata tantùm ſimilitudine, dum ſcilicet affirmo, illam hoc ipſum, quod ventus eſt, eſſe. Alter eſt expreſſus quidem, ſed adſtrictus, qualis erit, ſi dixero: *Gloriam humanam venti inſtar eſſe.* Ubi apertè mutuam ſimilitudinem affirmo, neque tamen edico, in quonam illa ſtatuatur. Tertius expreſſus pariter eſt, & explicatus, ſi proprietates illas apertè declarem, quæ gloriæ & vento communes ſunt, puta ſtrepitum, vanitatem, brevitatem. Primus, quem dixi, modus, *Metaphora* vocatur, poſterior *Imago*: Tertius *ſimilitudo explicata*. Metaphora juxta Græcum Etymon, translatio eſt, per quam unius cujuspiam rei nomen ad alteram transfertur, quæ ſimilis quidem ipſi, ſed non ipſa

eſt. Præſtat Metaphora tum Imagini, tum etiam ſimilitudini explicatæ, non brevitate tantùm; ſed etiam Energiâ: per metaphoram enim oſtendimus, tantam ſimilitudinem inter duas aliquas res intercedere, ut dici eædem queant, atque adeò alterius nomen in alteram aptè conveniat. Propter utramque hanc excellentiam maximè ea ſe aptat hominibus, quos vehementior animi affectio exagitat: hi enim, quia plurima ſuorum ſenſorum ardent edicere, optarent pariter, uno omnia ſpiritu profundere, atque adeò, ſicut ſermonem incitant, vocéſque truncant, ita etiam phraſim, quantum ab ijs fieri poteſt, decurtant: atque, ut ſunt hyperbolici, eas formas arripiunt, quibus uberior ſignificandi vis ineſt. Ad has rationes, meâ quidem ſententiâ, reſpexit Ariſtoteles, cùm diceret, Tragœdiæ magis, quàm nulli alteri Poëmati Metaphoram congruere, eò quòd Tragœdia colloquium hominum eſſe ſoleat cum affectionibus ſuis pugnantium. Verùm è contrario alijs commodis imago adſtricta, & ſimilitudo

litudo explicata præcellunt. Prima communis utrique utilitas eſt, quòd metaphora minùs abſit ab audaciæ vitio, &, quod hanc in translationibus conſequitur, frigiditati obnoxia eſſe ſoleat, cùm affirmat idem eſſe, quæ tamen ſæpe inter complures inſignes diverſitates vix tenuem ſimilitudinem exhibent. Contrà verò in Imagine & comparatione explicatâ modeſtior eſt ſententia, ut quæ ſimilitudinem duntaxat affirmat, cui nihil officit quantavis diſſimilitudo, dummodo in una quapiam proprietate res illæ, quas inter ſe contendimus, conſpirare deprehendantur. Alterum commodum ſingulare eſt comparationis explicatæ, quòd tam Metaphora, quàm Imago adſtricta affirment quidem, non tamen affirmata confirment, adeóque, ut laudem promereantur, tam apertam ſimilitudinem poſtulant, ut non ſegniùs eam ego agnoſcam, quàm tu fueris prolocutus. At verò comparatio explicata ibi quoque ſimilitudinem oſtendit, ubi ſe primo aſpectu minimè prodit. Lubet hoc totum in ſubjecto exemplo contem-

D 2 plari.

plari. (a). Quòd ſi Taſſus Rinaldi dimicantis dexteram *fauces ſerpentis*, aut *inſtar faucium ſerpentis eſſe*, neque amplius quidquam dixiſſet, metaphora, vel etiam imago adſtricta ſanè frigida, obſcuráque, imò & temeraria videri poterat. Contrà verò, poſtquam eam apertiori comparatione explicuit, effecit ſanè, ut efferri vix poſſit aut nervoſius aliquid, atque vivacius, aut ad legum amuſſim exactius. Lubet eam comparationem meis verbis reddere.

Qualis ubi Libyco ſe tollit pulvere ſerpens
Arduus, & linguis tribus ora micantia pandit.
Quanquam etenim ſimplex atque una eſt lingua, ſed ictum
Séque ipſam geminat, triplicátque celerrima motu.
Talem, dum pavidis ſeſe ferus hoſtibus infert
Rinaldus, triplici miſcentem prœlia dextra,
Attoniti ſtupuêre viri, tres ſurgere in haſtas.

Et

(a) *In Godefr. l. 20. Stropha 55.*

Et ſæpenumero comparatio deducta ſimilitudinem manifeſtat in multis proprietatibus, cùm Metaphora eam nonniſi in una aliqua lectoris animo ſpectandam objiciat. Quocirca tantò eſt familiarior gravibus ac ſerijs Auctoribus, maximè Philoſophis, quantò eadem eſt cautior, plúsque doctrinæ continet: niſi fortè omnis ſimilitudo, quæ inter res aliquas intercedit, tam aperta foret, ut eam vel demonſtrare, vel declarare ſupervacaneum foret, & hominis otio abutentis.

Atque hæc nobis attigiſſe ſufficiat de ſimilitudine, quam inter ſe habent tres iſti ſimilitudinum modi. De comparatione expreſsa & explicata diſputationem deinceps pertexemus, utpote quæ nobilior ſimul, ſimúlque accommodatior eſt Didaſcalico ſtylo, cujus formam perquirimus: quamvis multa eorum, quæ de hac dicturi ſumus, tacitæ quoque adſtrictæque ſint communia.

3. Demonſtratum à nobis fuit, magnam voluptatem à comparationibus lectori parari. Jam verò duobus modis

hæc ipſa voluptas intenditur, nempe cùm ſimilitudo ſic inſtituta eſt, ut vel indicio rerum notarum, quæque ſenſibus capiuntur, ad altiora, ſensúmque fugientia, aut certè antehac ignota, nunc denique palàm agnoſcenda promoveamur: vel cùm effecti cujuspiam nobis familiaris ſimilitudine ad aliam quandam veritatem, quæ omnem fidem excedere videbatur, nos manu perducit. Atque in hunc modum rectè Quintilianus notavit, (a) alias eſſe ſimilitudines, quæ ad exprimendum, alias, quæ ad probandum adhibeantur.

4. Ad primum genus revocatur ea ſimilitudo, quâ Virgilius Æneam, (b) è cujus oculis querelæ Didonis lachrymas expreſſerant, quin tamen animum concuterent, aut dignam Heroë conſtantiam labefactarent, annoſæ quercui comparavit, quæ nimirum altis in ſcopulum radicibus actis, etſi furijs appetita ventorum, caduca folia ſpargat, ſtipite tamen immoto conſiſtat: ad idem genus ſpectat alia apud Catullum com-

para-

(a) *Inſtit. Orat. l. 8. c. 3.* (b) *Æneid. l. 4.*

paratio, qui, ut in deſtitutæ Ariadnæ habitu vultum ſimul furoris & ſtuporis effingeret, quæ affectiones cæteroquin contrariæ videbantur, eam bacchanti Mænadi, in marmore ſculptæ, compoſuit, in qua ſaxi natura attonitæ torporem, & ſcalpti ingenium rabiem amentis contemplandam proponit.

5. Ad poſterius genus pertinet celeberrima illa comparatio à membris, & ventriculo ducta, (a) quâ Menenius Agrippa populo Romano tumultuanti ſuaſit, & ſi Senatores prima fronte non viderentur in communium laborum ac periculorum partem venire, ſed ijs omnibus in humeros plebis rejectis, ſibi divitias, commodáque reſervare, reaſpe tamen horum curis univerſorum civium fortunas & robur præſtare, ſícque illa ipſa officia, quæ ijs exhibeantur à plebe, non minùs in eorum, qui præſtant, quàm qui accipiunt, utilitatem redundare.

6. Secundùm hæc de utroque hoc genere comparationum quærendum eſt

(a) *Plutarchus in Coriol.*

utrùm ad philoſophicas præceptiones traduci queant? Neque verò dubium eſt, illam, qua de verba ultimò fecimus, comparationis formam ſtabiliendæ doctrinæ mirè accommodam eſſe; ſive cùm noſtra confirmanda, ſive cùm adverſa confutanda ſententia eſt: dummodo ea comparatio ſit ejuſmodi, ut juſtum habeat pondus, ac vim ſive probandi, ſive diſſolvendi argumenta contraria. Tum verò efficax ad probandum eſt ſimilitudo, cùm non tam à re diverſa, quàm ab ejuſdem generis, de quo diſputatio eſt, una aliqua ſpecie deſumitur, réque ipſa inductionis potiùs, quàm ſimilitudinis munus implet. Exempla nobis rem manifeſtam efficient. Ariſtoteles ſub initium Phyſicorum demonſtrat, Diſciplinarum ordinem (quem eo loco ſequitur) dum à cognitionibus involutis, atque confuſis ad manifeſtiores, & explicatiores gradum facit, ad imitationem illius ordinis compoſitum eſſe, quem natura tenet: quemadmodum, inquit, infantes ſolent principio viros omnes patrum nomine, omnéſque fæmi-

fæminas matres appellitare, ſubinde verò parentes ab alijs diſcernere incipiunt. Jam verò iſtud non tam eſt arceſſere ſimilitudinem rei peregrinæ, quàm oſtendere in una quadam particulari re, quod universè affirmaverat.

7. Ad hunc modum eſt illa quoque apud Senecam (a) comparatio, cùm demonſtraturus, non expedire reos omnes notari ſupplicijs, & caſtigatione à probis ſecerni, de ſervis ſimilitudinem affert, relatum olim ad Patres in ſenatu fuiſſe dictitans, ut id genus hominum ab ingenuis cultu ſecerneretur: ſed apparuiſſe continuò, quantum iſtis periculum immineret, ſi illi ſe numerare potuiſſent. Eandem ſubjungit ipſe, ſubeundam aleam eſſe, ſi nulli reorum parceretur, animadverſuros enim improbos, quantùm ipſi numero, adeóque robore probis antecellant. Hæc longè pulcherrima ratiocinatio non in extranea comparatione, ut videtur, ſed generali quodam effato fundatur, quod eſt ejusmodi: *Non expedit improbos manife-*

(a) *L. 1. de Clem. c. 24.*

ni feſto diſcrimine inſignire, ſi quando numero vincunt. Quæ theſis generalis exponitur in ea deliberatione de cultu ſervorum, velut in re una particulari ſub eodem illo univerſali effato comprehenſa.

8. Et hæc argumenta, per quæ ab experientia ſingulorum ad formanda generalia axiomata progredimur, cùm nimirum inter ipſa ſingularia nulla cauſæ diverſitas apparet, primi ſunt gradus, quibus ingenium, ſenſuum experientiâ duce, qui in ſingularibus occupantur, ad conſecutionem ſcientiæ ſe promovet, quæ ſumma & generalia contemplatur.

9. Hoc verò efficit duobus modis. Alius eſt, cùm quidpiam animadvertit, quod in multis *Individuis* eadem ſpecie contentis evenit, indéque generalem legem, toti communem ſpeciei, colligit; id quod ad eam argumentationem pertinet, quæ dicitur *ab Exemplo.* Alius, cùm id notat, quod in varijs ſpeciebus ejuſdem generis ſolet uſu venire: atque hoc proprium eſt argumentationis *à ſi-*

mili.

mili. Prior ex his modis robuſtior eſt, utpote minùs de latenti quadam diverſitate ſuſpectus, adeóque perquam familiaris Oratori perſuadere cupienti: poſterior autem amœnior eſt, ut qui latè patentem veritatem, eámque novam penitùs aperiat, ideóque à Poëtis maximè adamatus: & quoniam idem erudit copioſiùs, uſitatior quoque Philoſopho eſt, qui ſubinde explorat ſubtiliùs, ſi quod diſcrimen ſubſit: at verò quemadmodum omnes probationes, ut ſinceræ ſint, atque legitimæ, revocari ad ſyllogiſmi formam neceſſe eſt, ita ſimilitudo, ut quidpiam firmet, ſumenda erit à ſpecie generis ejuſmodi, cujus partes omnes idem jus habere videantur ad participandam qualitatem, quæ in illa ſpecie relucet, & intra quod genus ea quoque ſpecies comprehendatur, in qua prædictam proprietatem demonſtrare contendimus.

10. Hinc quoque regula quæpiam confici poteſt ac norma, ſimilitudine adverſam partem validè repellendi. Quemadmodum enim ex Inductione

probatio conſurgit, ita qui Inductionem evertit, unà robur omne illius argumentationis enervat, adeòque objecta validè à ſe repellit. Itaque tum valet ad refellendum ſimilitudo, cùm in ſingulari quopiam manifeſtò falſitatis convincit generale effatum, quod ſub ſpecie veritatis adverſarius contra nos in acie collocaverat. Et hæ quoque comparationes, ſi attentiùs eas conſideres, non videbuntur mutuatæ à re extranea, ſed comprehenſa intra idem genus, de quo quæſtio agitatur: atque ita non tam ſimilitudines ſunt, quàm partes Inductionis. Nam (ut hoc potiſſimùm exemplò utar) Menenius Agrippa in collatione ſuperiùs indicata in hunc modum ratiocinabatur. *Falſum eſt, ô Quirites, quod vobis quidem manifeſtum videtur: haud unquam convenire, ut una totius alicujus pars omnem laborem pro alterius partis incolumitate tuenda ſuſtineat: contingere ſiquidem poteſt, ut alterius ſalus atq; otium omnino neceſſaria ſint, ut vigorem ſuum in alteram poſſit transfundere.* Quam poſtremam ſententiam

in

in una quadam ſpecie partium totum aliquod conſlantium, ventriculo ſcilicet ac cæteris animantium membris commonſtravit.

11. Ejusdem naturæ illa etiam collatio eſt, qua Servator noſter Judæos confutavit, ratos, fieri neutiquam poſſe, ut poſt mortem ſuam, (quam vaticinatus fuerat) ullum porrò ipſis emolumentum afferret: frumenti namque exemplo eſt uſus, quod, ſi ſub gleba emortuum non fuerit, nullius frugis proventum facit. Hæc ergo eſt ejus argumentatio: *Reperire quædam eſt, quæ fructum non niſi poſt fata producant, adeòque falſum eſt illud generale veſtrum axioma, quo vaticinium meum arguere mendacij contenditis, nimirum nihil, cùm emortuum fuerit, quidpiam poſſe utilitatis afferre.* Infirmum autem eſſe generale illud axioma, quod jactabant Judæi, iſthic quoque non ſimilitudine rei extraneæ, ſed eodem illo genere comprehenſæ, frumenti videlicet, quod & ipſum moritur, declaravit. Non poſſum mihi temperare, quin hoc loco etiam memorem elegantiſſimum

Emblema, quod ſimili invento P. Famianus Strada S. Roſaliæ honori concinnavit; cujus ſcilicet Virginis corpuſculum, quo tempore recèns inventum fuit, Panormum graſſanti peſtilitati eripuit. Is ergo Virginis nomen venuſtè notans roſam, florem mirè medicum, pro ſymbolo ſtatuit, adjecto lemmate: *Conſumpta medetur.*

Ex ijs, quæ diſputavimus, apparet, quod pretium, quæ amœnitas bonarum comparationum ſit, in quot modos dividantur, quales, & quomodo Philoſophicis Diſputationibus deſerviant. Conſequens eſt, ut de pravis quoque diſſeramus.

Caput

Caput VIII.

De ſimilitudinibus, è quibus Sophiſmata naſcuntur.

1. OMnis comparatio, quæ laudatâ nuper dote deficiat, hoc eſt, quæ res non uno genere, atque adeò eadem generali propoſitione comprehenſas contendat, non aliam, quàm captioſam argumentationem conficiet. Tale aliquod Exemplum comminiſcamur. Dicat aliquis: haud aliter, atque cùm aër maximè pluvijs turget, tum ut plurimùm in fulmina exardeſcere cælum ſolet: ita quò plures miſeris depluunt lachrymæ, eò magis accenditur Magnatum indignatio. Elumbis hæc eſt comparatio, quia nequit utrumque comparationis membrum ad unum aliquod genus reduci, ex quo generale axioma formari poſſit, in ſyllogiſmo Propoſitionis vice functurum: etenim neque pluviæ ſunt veræ aëris lachrymæ, neque fulminare cælum, indignari eſt.

Sed

Sed priores quidem per translationem lachrymas dicimus, quatenus ſpecie quadam & excitandæ triſtitiæ virtute conſpirant; fulminibus autem per Metaphoram itidem iræ nomen tribnimus, quod hujus ſimilitudinem fragore cladéque referant. Porrò veræ lachrymæ nullam habent ad excitandam veram iram efficacitatem, quatenus illæ atque iſta ſuperiùs adductas proprietates obtinent, lachrymis, & iræ metaphoricæ communes. Quin imò lachrymæ, tanquam manifeſtæ miſeriæ, ſubmiſsíque ac ſupplicis animi indicia, placandæ irę deſerviunt: ira namque, ſicut vindicandi contemptum, viréſque oſtentandi cupidine inflammatur, ita vim ſuam amittit adversùs eum, qui ſubmiſſionem & infirmitatem lachrymis profitetur. Quapropter cùm iſtiusmodi proprietates in pluvijs & fulminibus nō reperiantur, quidquid demum in illis invenitur, nihil attinet ad probandum, quid adversùs iram lachrymę valeant. Ac quemadmodum major ſemper pravorum, quàm ſolidorum argumentorum eſt copia,

pia, ita etiam ſimilitudinum iſtarum, quibus Sophiſmata teguntur, major proventus eſt, quàm earum, quæ ad exacuendam ſyllogiſmorum aciem cotis loco deſerviant. Unam alterámve è duobus egregijs ſcriptoribus, veteri altero, atque altero recentiori excerptas notâſſe ſufficiet.

2. Iſocrates Oratione quapiam ſua internas animi affectiones, ſive mœroris, ſive gaudij, pandi non oportere contendens, ſicut, inquit, ſupellectilem résque alias, domi aſſervamus, non exponimus in foro, ſic animi perturbationes intùs recondendæ, non autem in linguam ac vultum educendæ ſunt. Quæ ſimilitudo non abſimilis eſt Nireo illi apud Homerum, formoſo quidem, ſed fractis viribus, & imbecillis. Animi quippe affectiones, quantumcunque conſpicuæ fiant, intra mentis penetralia ſemper continentur. Nam foras proferri non niſi per Metaphoram dicuntur: quæ quidem metaphora in eo conſiſtit, quòd res, quæ foras procurrunt, manifeſtiores fiant, quàm quæ intùs aſſervantur. Jam

werò

verò ſupellectilem, & magni pretij cimelia non ideo aſſervamus domi, ut ne cui fiant conſpicua: quin imò in illis præcipuè conclavibus ambitiosè ſolemus oſtentare, quæ hoſpitum ingreſſu maximè frequentantur: ſed ideo potiùs res illas in ædibus noſtris concludimus, quòd eo ſolùm loco nobis uſui ſint, & defendi à furibus queant. Quodſi autem ita exponi publico poſſent, ut domi nihilominus ſervarentur, haud ſanè gravatè mortalium faſtus omnium oculis eas opes proponeret. Quare nequit formari propoſitio, in qua tam ſupellex, quàm affectio animi verè, ac citra Metaphoram concludantur, ſic ut dicere poſſis: *Res noſtras nolumus alijs eſſe conſpicuas*, ídque confirmare exemplo ſupellectilis, hoc eſt, partis cujusdam rerum noſtrarum: cùm in hac, ut dictum eſt, contrarium potiùs evenire videamus.

3. Jam verò ille recentioris ætatis ſcriptor, à quo vitioſam aliquando comparationem uſurpatam fuiſſe ſuperiùs indicavi, Petrus Bembus eſt, qui libro,

quem

quem de Italica lingua conſcripſit, fratrem ſuum narrantem inducit, ſe ab ipſo Petro ſæpius audiviſſe, eos, qui, dum ſtudio & exercitationi peregrini Idiomatis, putà Latini, ſe dedunt, parùm interim penſi habent, tametſi patrium ignorent, perinde omnino facere, ac ſi quis in remotâ vaſtâque regione magnificas ædes conſtruat, in patria verò ſua humilem caſam inhabitet. Caſtelvetrius in ſua appendice eam ratiocinationem & ſimilitudinem retorquet in hunc modum. Quisquis duarum ædium Dominus eſt, ſapienter habitationi ſuæ deligit meliorem, adeóque qui binas linguas callet, prudenter illâ utitur in ſcribendo, quam novit penitiùs. Sed injuriâ redarguit: tum enim Caſtelvetrij impugnatio momentum haberet, ſi Bembus reprehenderet latinè ſcribentes, etiamſi ejus ſermonis peritiores ſint, quàm vernaculi: iſtos enim aptè cum duarum ædium Dominis componas. At verò Bembus illos arguit, qui diligentiam majorem peregrino, quàm patrio ſermoni impendunt. Rectè nihilomi-

nominus comparatio illa Bembi ex doctrina nuper à nobis tradita oppugnari poterat. *Quippe linguam aliquam incolere,* Metaphora eſt inde traducta, quòd ſicut is, qui in regione quapiam ſedem fixit, ijs innoteſcit, inter quos degit, ita qui peculiari quodam Idiomate ſcribit, illos cogitationum ſuarum reddat participes, qui eodem Idiomate utuntur. At verò error illius, qui tenuem in patria ſua domunculam inhabitans, amplis ædibus in remota incultáque regione conſtruendis ſumptus impenderet, in eo verſaretur, quòd ejus, in qua degeret, habitationis incommoda ferens, neutriquam alterius, à qua ſcilicet abeſſet, & in qua, utpote remotâ ac ſolitariâ, minimè foret è re ſua habitare, utilitatibus ſublevaretur. At verò, ſiquis in obſcuri pagi anguſtijs natus, & ſubinde ad altiorem fortunam evectus, regiam urbem incolere vellet ac poſſet, is ſanè à nemine damnaretur eo nomine, quòd in hoc potiùs, quàm in illo amplas ſibi ædes extruxiſſet. Pari modo, qui animi ſui ſenſa in litteratorum virorum multitu-

titudinem longè popularium ſuorum rudi turbæ, tum numero, tum auctoritate præſtantem profundere poteſt, nequaquam peccaverit, ſi majorem operam addiſcendæ peregrinæ quidem, ſed doctis illis compertæ linguæ navet, quàm vernaculum ſermonem patriæ ſuæ limitibus circumſcriptum ſtudeat perpolire.

4. Atque hinc apparet, ſimilitudinis uſurpatæ à Bembo vitium ex eo promanare, quòd una propoſitio, quæ utramque comparatorum partem citra translationem comprehendat, cum veritate proferri non poſſit; nempe *ſanioris ſemper eſſe conſilij, gentilibus ſuis, quàm exteris innoteſcere*, neque id probari queat inductione ſpeciei in genere *innoteſcendi* comprehenſæ, nempe habitationis exemplo. Nemo enim eſt, qui non continuò videat, procul à vero abeſſe, quòd laudabilius ſit in Patria, quàm peregrè habitare.

5. Hoc genus ſimilitudines, quæ Paralogiſmos, ſive captioſas ratiunculas pariunt, ijs libris, qui de ſeverioribus diſci-

diſciplinis agunt, jure meritiſſimo vertuntur crimini. Et Ariſtoteles quidem ut plurimùm ſibi ab illis temperavit, præterquam in Problematibus, (a) in quibus ipſi, non demonſtrare ſemper, verùm etiam jocari aliquando, propoſitum fuit. Veluti cùm inquirit, eccur paupertatem ferè apud optimum quemque reperire ſit: & pro ratione ſimilitudinem affert inopis mulierculæ, quæ non niſi probis viris ſe adjungat, à quibus ſcilicet ſe protegendam ſperet. In alijs verò operibus ſolemne eſt ipſi, ſimilitudines ad ſeveriorem rationem, & ingenium exactas ſeligere, ut cùm Sapientem cum rudibus, tanquam hominem pictum cum veris, componit: (b) quòd, ſicut in homine picto illa oris, ac totius corporis decora ſociari conſueverunt, quæ in pluribus veris hominibus ſparſim reperiuntur, ita in Sapiente cognitiones optimæ conjungi ſolent, quæ inter rudes viritim diſſeminantur. Quo fit, ut Senatûs etiam è rudibus coacti conſulta prudentiæ laudem aliquando pro-

(a) Probl. ſect. 29. Prob. 5. (b) 3. Polit. c. 7.

promereantur, quia univerſi collatis viribus unius ſapientis prudentiam æquant, (a) Sive cùm idem cauſam redditurus, cur aliqui argumentorum evidentiâ offendantur, contrà ſimilitudine veri magis capiantur, ait, evidentiæ neſcio quid inurbanitatis ineſſe: firmátque effatum ſuum ſimilitudine pactionum. Quemadmodum enim (huc quippe arbitror ſimilitudinem, quam Philoſophus involutam reliquit, referri poſſe) ſuperba ingenia graviter accipiunt, cùm vident, ſe à partibus ad fidem pactorum nimis arctis clauſularum formis conſtringi, ut adeò nihil fiat arbitrio ſuo reliquum: ſic nonnulli averſantur illam rerum evidentiam, quæ ipſis vel invitis ſententiam aliquam approbandi, neceſſitatem imponit.

6. Utraque (b) hæc comparatio perſpicaciſſimi ingenij viro, cùm primùm hic liber luce donatus ab ipſo legeretur, ſuſpecta de fraude viſa fuit: quapropter litteris me hortatus eſt, ut eas examine diligentiore excuterem. Verùm hic locus

(a) 3. *Meta*. 6. 3. (b) *Virg. Malvetius.*

cus longiorem ſuper ea re quæſtionem inſtitui non patitur: & certè vel nullum ijs vitium ſubeſt, vel ſi quod deliteſcit, ſolo Microſcopio veſtigandum eſt.

7. Platoni ac Senecæ ſimilitudines plerumque feliciter eveniunt; uterque tamen interdum utitur etiam genere iſto imperfectiore, ut quibus non tanta religio eſt, abſtinere Paralogiſmos, quin volupe fuit aliquando ingenij aciem magis, quàm conſecutionis veritatem demonſtrare. Quamquam ego majoris ingenij judicium eſſe putem, in omni re, quod præſtantiſſimum eſt, attiviſſe.

8. Indulgentur nihilominus ejuſmodi ſimilitudines imperfectæ Oratoribus: ſolet enim turba non tam ſubtilioribus rationibus, tametſi validis, capi, quàm iſtis imperfectis quidem, ſed quæ notiſſimis è rebus depromptæ, palpari quodammodo manibus poſſunt. Id nempe Oratoris propoſito ſatis eſt, quippe vincere cupienti, non docere, ut ab Ariſtotele primo capite Rhetoricæ annotatum fuit.

9. Ex-

9. Eædem à Poëtis quoque uſurpantur impunè, neque minùs ab ijs, qui ſymbola heroica effingunt: hos enim ipſa neceſſitas plerumque ad earum uſum adigit, ſiquidem illi ſe legi ſubmittant, quâ vetitum eſt, ſimilitudines ejusmodi ex hominum gente deſumi. Quam quidem ego legem ab ijs latam exiſtimo, quos Philoſophia defecerit. Verùm de hoc viderint, quorum id refert. Non poſſum tamen non admirari, ea quoque ſymbola, quorum argumentum ſit fabuloſum, illis improbari, & ea quidem de cauſa, quòd ob fundamenti, quo nituntur, vanitatem nihil adſtruant. Quaſi verò, quod à docto, mihíque imprimis amico viro annotatum fuit, hæc Emblematis provincia ſit, ut veram juſtámque probationem conficiat: atque adeò (libet enim hoc exemplo uti) dux Vrbinatium, cùm flammam pro teſſera extulit, cum lemmate: *Quieſcit in ſublimi:* demonſtrare omnino contenderit illam ignis indolem ſemper inquieti, niſi cùm omnia elementa tranſcenderit, verè argumento eſſe,

animum pariter ſuum nullam quietis partem capere poſſe, niſi cùm ad apicem gloriæ pervenerit. Quis enim non videt, etiamſi hæc ignis natura ſit, non tamen ideo ſuaderi, eandem quoque illi Principi indolem fuiſſe, nempe Individuo ſub ſpecie adeò diverſa deſcripto. Finis itaque ſymboli plerunque non eſt perſuadere, ſed eleganti ſchemate nobile quodpiam animi ſenſum demonſtrare: id quod fabuloſa etiam ſymbola, dum tamen celebris famæ ſint, præſtare poſſe, nihil equidem prohibet.

Igitur compertum habemus, quænam ſimilitudines à juſta ratiocinatione deficiant, cur eæ Philoſophum dedeceant, & qua ratione Oratori permiſſæ ſint.

Caput IX.

De altera ſimilitudinis utilitate, videlicet ad declarandum: & quatenus Philoſopho ejus uſus concedatur: ubi de adjunctis etiam agitur, brevibúsque deſcriptionibus, quæ propriorum loco nominum uſurpantur.

1. Aptiſſimæ quoque ad declarandum ſunt ſimilitudines, & multæ earum hoc tantùm fine adhibentur, prout in prima earum partitione, quam cum Quintiliano inivi, me differere memini. Hæ quoque uſui Philoſopho erunt, (a) uti fuit illa Ariſtoteli, cùm prudentiam Politicam Architecto, artes verò Mercenarijs operis, præſcriptas ab illo leges in opere ſuo ſequentibus, comparavit: itémque Tullio, dum in ſcriptionibus ornamenta inutilia anxiéque quæſita à decentibus, & ad rem facientibus diſtinguens, comparat illa cum diverſo rubore, quem vul-

(a) *In princip. Ethic.*

vultui fucus, aut ſanguis inducit. Neque tamen eas Philoſophus facilè adhibuerit, niſi cum proventu majoris claritatis, minimè verò ad oſtentandi ingenij pompam: indignatur enim lector ſibi à ductore ſuo iter produci, non quò per planiora tritioráque deducat, ſed ea ſolùm de cauſa, ut per anfractus illos ad prædiorum ſuorum latifundia contemplanda trahat. Amplius in hoc quoque Poëtarum privilegium eſt, qui, cùm magnam partem pro fine habeant, delectare lectorem, excitatis in ejus animo nobilium atque mirandarum rerum vivis imaginibus; id ſanè potiſſimùm comparationibus conſequuntur. (a) In hunc modum Virgilius variarum cogitationum viciſſitudinem, quæ in fluctuante animo Æneæ repentè ſurrexerant, Lunæ vel Solis radio confert, qui, cùm in phialam aquâ repletam inciderit, celeritate & varietate mirabili jam in hanc, jam in illam parietis aut tabulati partem reflectitur.

2. Adde: quòd admirationi, in quam rape-

(a) 8. *Æneid.*

rapere lectorem Poëta ſtudet, mirè id deſerviat, cùm, præter ſpem, duarum inter ſe rerum, alioqui diſſidentium, concordia contemplanda objicitur. Quapropter laxiorem quoque Poëtis Metaphorarum uſum indulgemus, quæ aliud non ſunt, quàm quædam, (ut ſuprà diximus) compendiariæ ſimilitudines.

3. Hinc etiam erui ratio poteſt, cur, ut tradit Quintilianus, (a) non perinde Oratorem, ac Poëtam deceat, declarando argumento, quod tractat, obſcuriorum occultiorúmque rerum ſimilitudinem accommodare, veluti cùm Virgilius Didonem exultantem inter Carthaginenſium ſtipatorum agmina Dianæ inter Oreadas (b) mediæ gradienti contendit (quanquam ille hanc ſimilitudinem, ſi fides habenda cuidam, apud Gellium id teſtanti, (c) parum feliciter tranſtulit ex Homero) ſive cùm venantis Æneæ ſpeciem Apollini patriam Delon repetenti componit, ubi res humanas, noſtríſque ſubjectas oculis Numinum, procul ab humana conſuetudine rece-

(a) *Inſtit. Orat. l.* 8. *c.* 3. (b) *Æneid.* 1. (c) *l.* 9. *c.* 1.

recedentium, ſimilitudine exponit. Verùm hoc, ut dicebam, Poëtæ vertendum vitio non eſt, qui nimirum ſimilitudines non eo fine adhibet, ut res clariùs eluceat, (quemadmodum faciunt Orator atque Philoſophus, quibus proinde non licet, res manifeſtas occultiorum comparatione ornare) ſed ut enarratæ rei venuſtiore mirioréque imagine legentis animus informetur.

4. Hinc ſe mihi occaſio præbet, de adſtricta Periphraſi, quam vice nominis uſurpant, (a) déq; adjunctis (quæ ſcilicet duo inter ſublevandæ orationis adminicula Magiſter enumeravit) tria verba faciendi. Aio igitur, ex ijsdem fontibus rationem promi poſſe, quam non perinde vel Quintilianus, vel Ariſtoteles reddiderunt ejus pręcepti, quod ipſi ediderant, nempe Oratorem (id quod multò magis in Philoſopho locum habet) illis ſolis adjunctis contentum eſſe debere, quæ ad argumentum, quod habet præ manibus, pertineant, & ad cauſæ momentum faciant: cùm contrà Poëtæ ſatis

(a) 3. *Rhet. c.* 2. & 6.

ſatis ſit, quod rei adjicitur Epitheton, eidem revera convenire. Nempe cauſa diſcriminis ex diverſo ſcriptoris utriusque fine petenda eſt. Orator ſuadere, docere Philoſophus, quod tractant, argumentum connituntur. Igitur ab omni alio apparatu ornamentorum, quæ ad hos fines idonea non ſint, velut à ſupervacanea & ambitioſa pompa prohibentur. Talia verò ſunt Epitheta otioſa, & nihil operantia. Imò etiam in eorum uſu, quæ cauſam juvant, ſervandus eſt modus: non enim, quidquid naturâ ſuâ utile eſt, id etiam, quamlibet copiosè adhibitum, utilitatem ſuam retinet. Et hanc ipſam ob cauſam Ariſtoteles Alcidamantem carpit, qui hæc non ut ſecundas menſas, ſed tanquam juſtas epulas convivio inferebat. E diverſo Poëtis blandiri quoque propoſitum eſt, vividarum & mirabilium imaginum excitatione. Tum verò vivacior exoritur imaginatio, cùm major copia proprietatum in ea re, quam contemplamur, conſpicienda offertur. Quin etiam eſt mirabilior, cùm illuſtrem quandam, aut non ani-

madverſam antehac ejus rei proprietatem nobis objicit. (a) Ita Maroni cum laude dicta eſt abies, *caſus viſura marinos* & Hirundo *manibus pectus ſignata cruentis.* Sic & Horatio *Bella matribus deteſtata*, & Martiali *Poto Sarmata paſtus equo*: atque ab eodem Sicambris, atque Æthiopibus ex habitu crinium, pro more Gentis, epitheta adjuncta fuêre, quæ omnia ab argumento, quod tractabant, admodum remota erant.

5. Ita cùm ſerij gravésque proſa Oratione ſcriptores, multóque maximè Philoſophi, haud facilè periphraſim nomini proprio ſubſtituant, niſi quando id fœditatis cujuſpiam, aut humilitatis evitandæ utilitas poſtulaverit, aut certè rei accuratiùs explicandæ gratia, exponendíque aliquod ejus attributum, quod ad propoſitum argumentum facere videatur: Poëtæ nihilominus laudabiliter per ambages verborum deſcripſerunt, quæ planè, atque compendio exprimere proprio nomine haud abſurdè potuiſſent.

(a) *Georg. 2. Georg. 4. l. 1. od. 1. de ſpectac. Ep. 3.*

ſent. Sic namque Catullus navim: *levi volitantem flamine currum* appellat.: Laurus verò à Petrarcha dicitur, *Stirps ſacra, quam cælum indignans, magnique veretur Dextra Iovis.* Idémque ſolem *Planetam diſtinguentem horas* appellat. At eos Tullius reprehendit, qui in ſermone ſoluto teſtudinem *Tardigradam Domiportam* vocaverant. Cauſa differentiæ eſt, quòd is, qui Poëtas legit, haud ſibi proponat militari via, juſtíſque itineribus progredi, ſed potiùs, velut in amœno viridario, deambulatiunculam inſtituere, eáque propter nequaquam conqueritur, detentum ſe, & ſeductum non ſemel ad aquarum ſalientium luſus, aut myrrhea ſimulachra inſpicienda Secùs illi ſolet evenire, qui Philoſophicam lucubrationem, Hiſtoriam, Orationem, aliáque id genus ſcripta perlegit, eo nimirum animo, ut argumentum, quod fronte præferunt, addiſcat. Hic enim non minùs inutili luxu offenditur, quàm famelico hoſpiti grave accidat, ſi epularum loco, quibus inediam depellat, Saccharum in ſtrues triumpha-

les elaboratum, aut juris gelati varium ac miræ artis opus inferri convivio viderit; res videlicet oculis otioſo ac ſupervacaneo ſpectaculo explendis, non autem expugnandæ fami idoneas.

Atque hæc de expoſitorijs ſimilitudinibus, quando nimirum, & quomodo philoſophantibus commodæ, déque neceſſitate eas ex rebus manifeſtis ducendi, de Poëtarum ab hac lege immunitate, & hujus immunitatis cauſâ, atque universè de ijs, quæ ad ſimilitudines pertinent, dicta ſunto.

Caput X.

De Argutijs, & de ijs primùm, quæ doctrinæ cuipiam innituntur.

1. MAgnum ſtyli ornamentum ſunt Argutiæ, quæ diu Græcis ignotæ, apud Latinos *ſententiæ*, vulgò verò *Conceptus* appellari conſuevêre. Ac quoniam ea tempeſtate, qua floruit Ariſtoteles, vix aliquis ſententiarum ejusmodi uſus fuit, occaſionem is nactus non eſt, eorum naturam aperiendi in ſua illa mirabili Philoſophia, qua cæteras eloquentiæ partes perveſtigavit, explicuítque. Neque qui poſt illum eloquentiæ Magiſterium profeſſi ſunt, quippe ingenij perſpicaciâ, & eruditione longè inferiores, argutiarum, de quibus diximus, naturam ſatìs peritè ac ſcienter explanârunt. Quapropter animum induxi, nequaquam abs re fore, ſi ſuper hoc argumento diſputarem, quò palàm fieret, quiænam illæ argutiæ ſint,

à quibus artium Profeſſores abhorrere non debeant.

2. Et principio quidem animadvertendum eſt, præcipuam voluptatem, quâ ingenium deliniatur, in admiratione conſiſtere, non quatenus illa cum ignoratione conjungitur, (ſic namque vitium eſt, ac tormentum intelligentiæ, rectéque hoc ſenſu pronunciavit Horatius, beatum fore, qui eò perveniat, ut nihil porrò miretur) ſed quatenus rei priùs ignotæ ſcientiam ſecum conjunctam habet. Ac quantò res illa longiùs àb opinione noſtra aberat, vel etiam eam ſuperabat, tantò magis admiratio, & voluptas intenditur, quam ex nova ſcientia, præter expectationem recèns oblatâ percipimus. Solemus enim ejusdem boni acquiſitione magis, quàm poſſeſſione lætari: at illud veriùs acquiritur, quod minùs è propinquo, & ſpe tenuiore tenebatur.

3. Quæ cauſa fuit, ut inter Philoſophos Plato, inter Poëtas Pindarus totô in id ſtudio incumberent, ut omnis eorum oratio Auditori inexpectata accideret,

deret, & Pindarus quidem non alia utilitate permotus eſt, ut tam è longinquo exordia caperet, támque frequentibus Epiſodijs extra limites argumenti, & in avia penè abiret, quæ rerum illarum, & linguæ minùs peritis obſcura nonnunquam, & cæcata videri ſolent. Qua de cauſa ſtyli Pindarici nomen in Odas hâc formâ conſcriptas fluxit, qui ſanè ſtylus ficut magnis quibusdam ætatis noſtræ ſcriptoribus inſignem laudem conciliavit, ita vitio aliorum perperam eruditorum, quibúsque res una eſt novitas atque licentia, in ſiniſtram vulgi opinionem adductus eſt, non advertentis ſcilicet, quòd, quemadmodum volatus reliquis animantium motibus antecellit, ita mutuatis alis efferri, motuum omnium cæterorum unus ſit maximè temerarius, & multò maximè periculoſus.

4. Verùm, qui à nobis *Conceptus* dicuntur, ij pretium ſuum inde præcipuè capiunt, quòd animum Auditoris feriant admiratione peculiari, eáque majore, quàm quæ ab alijs peregrinæ in-

ventionis explicationibus excitari conſuevit. Vnde mihi perſuadeo, hujusmodi deſcriptionem ijs aptari poſſe : *Animadverſio mirabilis brevi dicto comprehenſa.*

5. Matthæus Peregrinus, vir & ab ingenij acie, & ab altiſſima Philoſophia ſic inſtructus, ut minima ejus laus ſit opulentia, & copia reconditæ cujusvis eruditionis, inſignem tractatum de *Argutijs* vulgavit : quem quidem ego librum doleo non priùs ad manus meas perveniſſe, quàm hoc opus ipſe conſcriberem. Illud tamen hoc loco non prætermittam, quòd is ad peculiarem eam delectationem, quam *Argutiæ*, ſive, ut à nobis vocantur, *Conceptus*, pariunt, non quancumque novitatem poſtulet, ſed novitatem pulchri, utpote, cui copioſior omni alia veritate vis ineſt oblectandi. Verùm ego, ut ingenium laudo, ita dubito, an ad Argutiarum ſive *Conceptuum* naturam id universè ſit exigendum. Quis enim neget, ridicula quoque argutè dici? neque tamen id, quod riſum movet, pulchrum eſt, ſed *Turpe*,

non

non dolorificum, ſi Ariſtoteli credimus. Viſus & imaginatio, quæ cum viſu plurimum habet commune, non autem mens, pulchritudinem in rebus requirit, ut ijs delectetur: quare illa quoque, quæ viſu deformia ſunt, atque abſurda, ſcitu tamen injucunda non ſunt. Breviter: licèt animus ea parte, quâ primò rem objectam apprehendit, Pulchri contemplatione afficiatur, ſicut alio volumine demonſtratum à nobis fuit; alterâ tamen, (a) eáque nobiliore jucundioréque, qua nimirum de rebus judicat, nonniſi veritate capitur: illúdque magis vult nôſſe, quod plus obtinet veritatis, ſeu quia generaliùs, ſeu quia magis neceſſarium eſt, quódque veritatem ipſam manifeſtiùs evidentiúsque præſefert. Novitate autem iccirco geſtit ampliùs, atque exultat, quoniam avarus quisque majorem ex divitiarum, quas deperit, acquiſitione, quàm ex continuata earum poſſeſſione lætitiam capit. An fortè negabis, illâ Flori Argutiâ, quam Petrarcha etiam adamavit, (b) cieri volupta-

(a) *De bono, l. 3.* (b) *L. 3, c. 5.*

luptatem, cùm de Marij victoria dicit; *Victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ bibit, quàm ſanguinis barbarorum.* Quænam verò hinc nobis pulchri ſpecies objicitur? nulla certè: quin horrorem potiùs & ſtomachum nobis moveret, ſi quis de flumine aquam humano ſanguine infectam, ſpectantibus nobis hauriret.

6. Quam ob rem non Pulchritudo, ſed Novitas, uti dictum à me fuit, ad ſingularem illam voluptatem requiritur, quâ *Conceptus* ſupra cæteras veri expreſſiones animum reſpergit. Sed, niſi fallor, Peregrinus non illud *Pulchri* nomine intellexit, quod oculis ſuámet ſpecie arridet, ſed, quod animadverſum ingenio, juvat contemplari; quo demum nomine illud omne ambitur, quodcunque admirationem gignit, atque adeò id maximè, quod novitatis habet plurimum, ex qua ſolet admiratio conſurgere. Sola igitur Novitas illa eſt, quæ *Argutias* grato ſapore imbuit. At verò, ut recens adveniat, ac inopina, verborum brevitatem poſtulat; nam copiâ

& prolixitate fit, ut auditor ſenſum dicentis paulatim deprehendat, ſicque ad habendam fidem paretur, ex quo admirabilitatem ſimul amittit, quod inexpectatum jam eſſe deſijt: eſt enim admirabilitas novitatis partus. Sed hanc novitatem pluribus modis comparamus.

Caput XI.

Inſtitutæ inveſtigationis utilitas, ut ex Authorum lectione fructus colligatur citra furtum. Quid furari, imitari, & æmulari apud ſcriptores?

1. QUoniam præcepta cogitatione utilitas, quam ſubinde in conſecutione finis percipimus, actiones omnes, quibus ille veluti totidem inſtrumentis paratur, dulcedine ſua condit; ideo priusquam aggrediar indagare, quot qualéſque ſint fontes ejus voluptatis, quam *Argutiæ* nobis afferunt, Exiſtimo, haudquaquam ſupervacaneum

caneum fore, ſi ejus inveſtigationis maximum quoddam commodum demonſtravero, id eſt, poſſe nos inſignium ſcriptorum lectione ita proficere, ut neque probrósâ furum litterâ, nec ſervili nota imitatorum ſignemur: ſed æmulorum potiùs, quod illuſtre atque magnanimum eſt, nomen nobis comparemus.

2. De imitatione complures, & præſertim Epiſtolas aliquot Franciſcus Picus Mirandulanus, & Petrus Bembus invicem ſcripsêre. Et à priore quidem reprehenduntur, quicunque unum aliquem, tametſi magni nominis, pro forma ſcribendi ſibi præſtituunt. Contrà alter in Proſa Tullij, & in verſa oratione Maronis ſtylum pro virili cuique ſectandum eſſe contendit: ea tamen lege, ut illos imitetur, non autem deprædetur. Neuter tamen ad philoſophicam trutinam exigit, ecquid demũ ſit *Furari, Imitari, Æmulari.* Quare non inanẽ operam poſuero, ſi hoc totum explanare & ad prima notáque capita Philoſophiæ, profeſſionum cæterarum omnium Magiſtræ, revocare allaborem. 3. *Sur-*

3. *Surripere* aut *furari* propriè in ſcriptores non cadit, niſi quis ſcriptionem alienam venditaret pro ſua. Nam quòd ſua cujuſpiam lucubratio ſit, non alium ei fructum affert, præter hanc ipſam gloriam, quòd is operis illius Authorem eſſe feratur. Quamobrem ille ſolùm, qui hanc alteri gloriam eripit, ſibíque falsò arrogat, ſcriptionis alienæ poſſeſſionem uſurpat, eáque legitimos dominos exuit, damno & ingratijs ipſorum, id quod ad *furti* naturam pertinet. Extra hoc, *furti* nomen, nonniſi per Metaphoram ad ſcriptores transfertur. Ad Metaphoram autem non requiri perfectam in omnibus conſenſionem novimus: aliter enim Metaphora non foret. Quare hujusmodi voces *expilare*, & *prædari authores*, qua parte ab imitatione differunt, in hac nimirum peculiari ſimilitudine veræ ablationis, ſeu furti fundantur, quòd, quemadmodum non dicor ignem vicino ſurripere, veréque furari, ſi fortè de ipſius foco alium pro me excitem; ſed utique, ſi eundem titionem, quem ille poſſidebat, in meos uſus con-

convertam, ita *ſurripere* quidpiam, aut *furari*, tum demum in ſcriptores convenit, ſi eandem planè rem individuam ab uno inventam alter uſurpaverit: nam ſi non prorſus eadem, ſed alia ab illa res eſt, tum certè ablata non erit: haud ſecùs atque aliud eſt, Petro de Cortona tabellam pictam ſurripere, & eandem imitando deſcribere, aliâ nempe ad ſimilitudinem illius efformatâ.

4. Verùm illud inter pictores & ſcriptores intereſt, quòd picturam non planè unam eandémque ſoleamus appellare, ſi modò diverſam materiem, hoc eſt, ſolùm aliud, aliósque colores nacta fuerit; neque vacat peculiari laude, in imitanda pictura felicem fuiſſe. Contrà in ſcriptionibus accidit, quæ liceat aliâ papyro, diversóque atramento ſcribantur, non ideo tamen deſinent eædem eſſe, quia nempe ad has exſcribendas nulla eſt opus eruditione. Quin imò, cùm ſcriptorum monimenta non uni loco, quemadmodum ſtatuæ, ac picturæ, ſed Orbi univerſo deſtinata ſint, atque adeò multiplicari per exempla debeant,

beant, patet profectò, elucubrationes commentationésque ſcriptorum non à materie, quâ exarantur, continentúrque, ſed à vocibus atque ſententijs, è quibus contexuntur, ſuam (ut ſcholarum verbo utar) Individuationem accipere.

5. Subinde in memoriam revocanda eſt ſapiens illa Individui definitio à Porphyrio tradita: *Individuum ſcilicet eſſe, quod conſtet proprietatibus, quarum collectionem nunquam in alio eandem eſſe contingat.* Sic, cùm hominis alicujus nomen patria, genus, corporis habitus mihi perſpecta ſunt, dicor illum planè atque in individuo nôſſe. Nam quamvis evenire caſu aliquo (ut aiunt) Metaphyſico poſſit, ut alius homo in adjunctis iſtis omnibus alteri ſimilis, atque geminus reperiatur, id tamen in præſenti rerum curſu contingit nunquam. Atque in hunc modum etiam Jure Conſulti è doctrina Bartoli, duabus proprietatibus, vel, ut ipſi loquuntur, *Demonſtrationibus*, evictum eſſe volunt, rem quampiam eandem eſſe, ſive de hominibus, ſive de fundis quæſtio fuerit, dummodo eæ pro-

prie-

prietates ejusmodi ſint, ut non ſoleant diverſis in rebus reperiri. At verò, cùm alicujus proprietates illas tantùm compertas habeo, quas facilè contingat eſſe in alijs pluribus, tum enimverò dicam, me ignorare, quiſnam ille ſit: non enim ita illum habeo perſpectum, ut ſecernere à reliquis poſſim. Pari ratione *Individuatio* ſcriptionum ab ejusmodi proprietatibus deſumitur, quas non contingit, niſi raro aliquo ac mirabili prorſus eventu, in duabus diverſorum ſcriptionibus deprehendi, quin alter alterius Authoris conſcientiam habuerit. Itaque ubi hujuſcemodi proprietates eædem prorſus fuerint in binis lucubrationibus, tum certè una & eadem, atque adeò ab alterutro ſcriptore ſubrepta, & furto ablata dici poteſt, tametſi in partibus alijs non nihil diſcriminis, & ornatûs ſubinde acceſſerit; quemadmodum etiam domus, ut eſſe dicatur eadem, ſecundùm vulgarem loquendi uſum, neceſſe non eſt, nullam in ea januam, feneſtram, tabulatum immutatum fuiſſe, ſed ſatìs eſt, ſi in ea proprietates illæ ſuperſint,

ſint, in quibus haud facilè uſuvenit, domus diverſas conſpirare, ſitque adcò facile, hanc ob alijs diſcernere.

6. Verùm quidem eſt, Individuationem ejusmodi, cùm non una in re ſimplici, ſed in cumulo quodam adjunctorum conſiſtat, majorem interdum ac minorem eſſe poſſe; ideóque tum gravius eſt ſcriptorum furtum, cùm minùs immutantur proprietates, nobiliores præſertim, quæ nimirum haud ita ſponte ſe obviàm ingenio ferunt, quásque proin rariùs in diverſorum Authorum ſcriptionibus fortuna conjungit. Quare interdum in ſententia vel inventione, non item in phraſi, furtum deprehendetur: interdum uſurpata phraſis erit, ſed in aliam traducta ſententiam; atque tum ſcriptor (ut ſunt hæ artes diverſæ) partim furis nomine tenebitur, partim auctor poterit nuncupari. De induſtria duplicem artem diſtinxi. Alia enim ars eſt inveniendi, ab ea, quæ inventa idoneâ dictione exponit, cùm utriusque diverſa ſint tum præcepta, tum etiam difficultates,

tes, poſséntque, ſi naturam earum ſpectes, diverſos artifices exercere. At quoniam ita jam uſus obtinuit, ut quilibet animi ſui ſenſa ijs verbis, quæ ipſimet præcipuè probantur, amiciat, neque quisquam facilè velit alienis cogitationibus conveſtiendis ornamenta elaborare; ideo geminæ iſtæ artes in ijsdem hominibus ſocientur, eámque ob cauſam nativa earum diverſitas non ita paſſim innoteſcit: paucis enim tam acuta eſt acies, ut, quæ conjuncta, quæque omnino idem ſunt, ſatis ſecernant. Verùm, qui ad hanc animadverſionem ſecũ exegerit, quot, quantíq; operis artes contexendo Poëmati, vel Orationi neceſſe ſit impendi, is haud difficulter mirari deſinet, in tot ſeculorum decurſu, & copia litteratorum, tam paucis ſcriptionibus immortalitatem nominis obtigiſſe.

7. Verùm in viam redeamus, è qua non errore ſeducti, ſed utili digreſſione paucorum paſſuum intervallo deflexìmus. Utque rem paucis conficiamus, cùm furibus proprium ſit, alieno vivere,

is

is grandiore infamia notandus eſt, qui in eas ſcriptionis partes minùs contulit de ſuo, quibus elegantia & raritas laudem ampliorem promerentur: atque ita in celebritate famæ vivit ex rapto.

8. At quoniam *Furis* nomen ſcriptoribus non niſi per Metaphoram, ut diximus, nec omnino integra ſimilitudine, imponitur, hinc eſt, quòd ejusmodi furtum non perinde ac illud, quod propriè furtum dicitur, verâ ignominiâ nomen ſcriptoris commaculet: non enim per hoc imminuitur legitimo domino patrimonium gloriæ, quin etiam augetur. Magno quippe honori eſt Ovidio, quòd Arioſtus, tanti ſcilicet ingenij vir deſperârit, poſſe ſe deſtitutæ Olympiæ calamitatem venuſtioribus ſententijs exprimere, quàm quas ille in Ariadnæ ad Theſeum Epiſtola expoſuerat. Præterea, ubi verum furtum tranquillæ ſocietati civium officit plurimùm, Metaphoricum iſtud litterariæ Reipublicæ nullum negotium aut incommodum faceſſit: quin utilitatem haud exiguam eidem affert, eò quòd hac operâ in varias linguas, for-

máſque dicendi, optimarum cogitationum celebritas differatur. Ex alia verò parte hoc genus furtorum nunquam patratur abſque aliqua commendatione ingenij, ſi non ut coloni, ſaltem ut Mercatoris, cùm ob perſpicaciam in eligenda merce, tum ob dexteritatem, ſine detrimento illam aliò transferentis. Scriptorum itaque furacium probrum (ut Scholaſticis vocibus hoc exprimam) *Negativum* eſt, non *Poſitivum*; ſeu ut apertiùs idem dicam, argumento eſt, quòd ſuum iſtis ingenium paris elegantiæ ornamenta eam quidem in rem haud ſuffecerit.

9. Imitatio autem hac parte diſſidet à *furto*, quòd, qui furatur, idem omnino, qui verò imitatur, aliud quidem dicat, ſed quod cum re, quam imitatur, ijs in partibus, quæ maximè eminent, quæque difficultate præſtant & laude, tantam ſimilitudinem præſeferat, ut, quisquis habet utriusque notitiam, hanc ad illius exemplum ſtudioſè conformatam fuiſſe, non difficulter agnoſcat.

10. Æmulatio denique id agit, ut alijs

mo-

modis, vel ſimilem, vel majorem voluptatem lectoribus pariat, quàm Authores, quos imitatur, antè pepererint. Exempla Furti, Imitationis, æmulationiſque ſubnectam. Et principiò quidem in fabularum inventione, in quibus totum hoc, quod diximus, veluti characteribus grandioribus expreſſum apertiùs dignoſcetur: idémque deinceps leviore opera in *Argutijs* veluti tenuioribus notis apparebit. Lubet enim hujusmodi ſimilitudinem uſurpare, qualem Plato alio propoſito adhibuit.

Caput XII.

Præmiſſa doctrina declaratur allatis Exemplis Furtorum, imitationum, æmulationum in fabulis.

1. FUrto ſublatum dici poteſt à Taſſo (a) Clorindæ figmentum, quæ Patre Mauro progenita, & in aſpectu candidi Emblematis à matre concepta, colorem album traxerat; univerſum enim ex Heliodoro (b) depromptum eſt. Hic namque eventus, cum omnibus ijs partibus, quæ in utriusque Poëtæ fabula conſentiunt, ex eorum eſt genere, quos humanorum caſuum viciſſitudo rarò refert eoſdem, ac propter ea ex ſuprà notatis adjunctis ſuam Individuationem capit, uti non multò ante docuimus.

2. Imitatus verò idem Author (c) Græcam Pyladis & Oreſtis fábulam, quomodo narratur à Tullio, in Olindi & Sophroniæ commento cenſeri pòteſt: in utra-

(a) In Godefr. c. 12. (b) In Æthiopicis. (c) Ibid. c. 2. de amicitia.

utraque enim fabula mirabilis illa vis amicitiæ ſpectatur, quâ quis per mendacium id ſibi affingat, quod alteri eſt cauſa diſcriminis, ut ita Tyranni gladium ab amici jugulo proprium in caput avertat. Sed enim hæc ſimilitudo amplior eſt, & laxior, quàm ut ad unam individuam rationem (id quod omnino ad furtum requiritur) utrumque illum caſum arctet. Non enim tot, taléſque partes complectitur, ut eas in conſueto curſu humanorum eventuum non niſi ſemel in conſpectum dare fortuna poſſit. Adde, generalem hanc ſimilitudinem conjunctam eſſe compluribus differentijs ad amoris naturam, ſexum amantium, occaſionem periculi, exitúmque pertinentibus, adeò ut nemo, auditâ Græcâ fabulâ, Italicam eam ipſam eſſe pronunciet. Rectè tamen imitationis nomen accipit: quippe ne mediocrem quidem aciem fugerit, eam à Pyladis fabula derivâſſe natales ſuos: eo planè modo, quo ſæpe in filio tam lepidè parentis imago relucet, ut non idem quidem homo cum patre, ſed tamen ab hoc progenitus eſſe cognoſcatur.

 3. Aliam

3. Aliam præterea in eodem Taſſo (a) imitationem ad Homericæ inventionis Archetypon, ſed ectypo meliore expreſſam jure merito vocabimus, cùm is fingit, fortiſſimum Bellatorem ab Exercitu, quem fata victoriæ deſtinaverant, quíve tunc fortè munitiſſimam urbem obſidebat, fugâ ſe ſe proripere, ob contractam cum Imperatore ſimultatem, ſic ut, per ejus abſentiam expugnatione dilata, varijs interea caſibus obſidentes jactentur. Imitationem voco, non furtum, ob adductas ſuperiùs in Sophroniæ fabula rationes: & eam quidem feliciùs redditam pronuncio, quòd Rinaldum cauſa longè honeſtior, quàm Achillem ſubducat è caſtris, tametſi Achillis reditus nobiliore cauſa, quàm Rinaldi honeſtetur. (b)

4. Æmulationis exemplum Arioſtus præbuiſſe dicetur, cùm eidem Pyladis & Oreſtis fabulæ geminam in Leonis, & Rogerij amicitia inſtruit. Etenim præcipuam voluptatem, quam ex priore illo figmento percipimus, nobis repræſentavit,

(a) Ib, c. 5, (b) Cant, 16,

tavit, cùm hîc quoque videamus, amicum tanta charitate flagrantem, ut conditionem ſuam mentiendo, vitam propriam pro amico prodigere allaboret. Ita verò Arioſtus hanc nobis præſtitit voluptatem, quæ utique generalis eſt, & latiùs patens, quàm ea, quæ Olindi ac Pyladis fabulæ in commune conveniunt, ut eidem ſubinde modos adhibuerit planè ſpeciales atque diverſos, atque in horum ſingulis præripuerit Græcæ fabulæ palmam. Quippe Pylades ſervandæ vitæ amici, ſuam impendere cupiebat: Rogerio autem, ut vitam ſuam projiceret, vel voluptas una ſatìs fuit, quam percepturus erat amicus; & Pylades quidem ſolam vitam, Rogerius verò, & hanc ipſam, &, quam vitâ cariorem habebat, ſponſam; útque hanc ipſi liceret amittere, vitâ priùs excedere ardebat. Præterea Pylades, cùm in ejus oculis vitam poneret, in cujus gratiam ponebat, à conſcio beneficij percepturus erat debitum grati animi fructum: contrà Rogerius tanti, támque inuſiati beneficij non aliud theatrum præter

ſuum ipſius animum habebat. E quibus diverſitatibus duæ, eæque maximi momenti res proveniunt. Primùm, quòd eadem dici utriusque Poëtæ inventio non poſſit, cum ampliſſimo tantùm genere, ut dictum fuit, utriusque fabulæ ſimilitudo conſtet, qualis poſt ſubtilem etiam animadverſionem deprehendi vix queat. Deinde, quòd Arioſtus Græcum vatem tam feliciter ſit æmulatus, ut ſub eodem genere Inventionis, miriorem, jucundiorémque ſpeciem, quàm ſit illa Pyladis & Oreſtis, invenerit.

5. Quod nos hactenus diximus ſuper fabularum unitate, diverſitatéque, id ipſum in Poëtica ſua viſus eſt Ariſtoteles indicâſſe, cùm monet, è veterum fabulis ſumma genera excerpenda, hoc eſt, generalia tantùm attributa rerum, quæ deinde Poëta ſua reddere allaboret, adjunctis videlicet de ſuo particularibus circumſtantijs. Et planè Tragœdiam eandem, vel aliam vocari oportere, non ex eo, quòd nacta ſit, vel non nacta eandem genere fabulam, ſed potiùs ex eo,

quòd

quòd implicationem quoque, ſolutionémque habeat eandem, vel diverſam.

6. Cujus rei ea eſt ratio, quòd pronum ſit, in humanorum caſuum viciſſitudinem ſæpius generalem illum eventum incidere; non item facilè contingat, eodem planè nodo implicari, & ſimili exitu ſolvi, ut adeò ex his ultimis ſuam Individuationem accipiat. Atque hæc novæ connexionis, aut ſolutionis inventio priſcis innexa fabulis, non eſt forſitan minùs ardua & difficilis, adeóque non minùs mirabilis, quàm ſi tota à primordijs fabula texeretur.

7. Diſcuſſum igitur à nobis fuit, quid verum, quid Metaphoricum furtum ſit in ſcriptoribus; quomodo ex illis alterum non reprehenſionem quidem, ſed laudem exiguam promereatur. Quid imitatio tam in Argutijs, quàm inventione; & quandonam, majore, minoréve laude ſit digna. Denique quid æmulatio, & quam ob cauſam præcipuè commendanda.

Caput XIII.

Regula, citra furtum & imitationem Authores æmulandi.

1. EX ijs, quæ hactenus à nobis ſuper furto, imitatione, & æmulatione fabularum diſputata ſunt, generalem regulam eruere licet, quæ obſervanda lectori erit, ut & alienis inventis proficiat, & tamen ignobilem imitatoris, aut deteriorem furis appellationem non incurrat, ſed ſplendidum auctoris nomen adipiſcatur. Animadvertendum ſcilicet, ecquæ illa in univerſo quodam invento proprietas, vel quodnam, ut in Scholis loqui conſuevimus, Prædicatum ſit, quod nos delectet. Et verò, ſi in hoc penitiùs obtutum defixerimus, comperiemus profectò, illud prædicatum non ita uni illi invento proprium eſſe, ut non etiam ad complures alias ſpecies, quæ excogitari poſſunt, pertineat. Secundùm hæc igitur alia quæpiam illarum ſpecierum ingenio per-

perquirenda erit, quæ in eo tantùm, de quo diximus, prædicato ſimilis ſit fabulæ, quam æmulamur, in cæteris verò omnibus planè diverſa; & tali quidem, ſi fieri poteſt, diverſitate, ut ob eam ipſam diſſimilitudinem prædicato illo liberaliùs imbuatur, quemadmodum in exemplo fabulæ ex Arioſto depromptæ conſpeximus.

2. Atque hoc nimirum eſt, lectione Scriptorum profectum capere, non qualis à Tironibus in ludo litterario, ſed qualis à peritis, & ſcientiâ inſtructis percipitur. Diſcipulus enim ea imitatur, quæ in Magiſtri ſcriptis vel arrident ipſi, vel ab alijs collaudari fortè audivit. Cùm verò diſcernere non valeat, quam potiſſimùm ob cauſam Illa placeant, nec proinde nôrit, ſua illis in ea tantummodo parte conformare, in omnibus ſcilicet exprimere Magiſtrum allaborat, quo nimirum conſequatur, ut in ea quoque parte ſe ſimilem præſtet; quæ ſcaturigo eſt voluptatis, quámve is liquidò dignoſcere à reliquis non poterat. Eâdem planè ratione Medicinæ Tiro illo ipſo

pharmaco utitur, quod conſpexit ab alijs uſurpari, & ad eos tantùm morbos expugnandos, contra quorum vim illud componi aliàs vidit. At verò, qui ſcientiâ pollet medendi, conſpicatus herbam aliquam in hunc morbum valere, deprehendit planè, hoc inde provenire, quòd illi plantæ vis inſit, noxium ejusmodi humorem corrigendi purgandíque, atque ideo alia deinceps eidem morbo curando medicamenta invenit, quæ nimirum ſimilem cum illa herba temperiem ſortita ſunt; & eâdem quoque herbâ in alios inſuper morbos pugnat, qui è ſimili noxij humoris vitio generantur. Quid multis? in hoc ſenſus à ratione, ab arte experientia diſſentiunt apud Ariſtotelem, quòd ſenſus & experientia in cognitione particulari acquieſcant, ratio verò atque ars generale quoddam ex his axioma proliciant, quod innumeris, iíſque diverſiſſimis rebus aptari queat.

3. Certè, qui ſine fuco voluerit philoſophari, facilè deprehendet, quòd nihil ali d ſit, habere perſpectum, cur

hoc

hoc illúdve talem omnino effectum producat, quàm nôſſe, quodnam ſit in ea re generale prædicatum, quod, ubicunque reperitur, trahit unà ſecum virtutem, ejusmodi effectum producendi. (a) Neque plus ultrà ſcientiæ noſtræ conceſſum eſt progredi. Id in libro primo poſteriorum Analyticorum Philoſophus animadvertit, quo loco pro eòdem capit, quòd ſenſus cauſam rei non cognoſcant, quódve ad generales rerum notiones non pertingant. Ita ſanè videbimur nobis (ut hoc exemplo utar) ſatìs nôſſe cauſam, cur piper calefaciat; ſi noverimus, eo magnam igniculorum copiam comprehendi, quos veluti quibusdam pedicis in terreſtres particulas natura compegerit, ne ad ſuam ſphæram evolent; eosdem verò, commolito ſubinde pipere, vinculis exſolutos prorumpere, incendere, & cuſpidibus ſuis teneriora corporis, linguam ſcilicet & viſcera, ſolicitare. Porrò cur ignita illa corpuſcula, ſeu, quod perinde dicas, cur igniculi calefaciant, interrogatio eſt

 ejus-

(a) L. 24.

ejusmodi, quæ inter homines pro ridicula habetur, cùm ejus rei non alia uberior cognitio, quàm experientiæ quotidianæ comprobatio haberi poſſit, quâ planè effectum fuit, ut id nullam nobis mirationem creet, ſed veluti unum è primis, ut aiunt, Principijs, quæ ſeipſis abunde nota ſunt, quæ neque alia notiori ratione demonſtrari ulteriùs poſſunt, communi omnium excipiatur aſſenſu. Quapropter generalem illam rationem & cauſam cognoviſſe oportet, ut probè quis noverit æmulari.

Caput XIV.

Demonſtratur eadem in Argutijs diverſitas inter furtum, imitationem, & æmulationem.

1. IAm verò, quæ dicta ſunt de fabulis, locum quoque habent in *Argutijs*, quæ utique, ſi, ſolâ phraſi immutatâ, transferantur, furto dicentur ablatæ, neque in ea re alia erit laudis materies, quàm explicatio idonea, quæ ſcilicet ſub-

ſubrepta non fuit. Hoc nomine cenſeri poſſe videtur illa ruinarum Carthaginis animadverſio, quam penè ad verbum à Sannazario Taſſus in Italum Poëma tranſtulit. Taſſus enim, ſi eum latinè reddamus, ita cecinit. (a)

Alta jacet Carthago, ſui vix littore ſervans
Indicium, & tantæ veſtigia rara ruinæ,
Regna cadunt, pereunt urbes, ſabulóque ſepultæ
Pompæque faſtúsque levi ſub ceſpite ſqualent:
Atque homo mortalem ſortem indignatur, & odit?

Ante hunc verò Sannazarius de eadem Carthagine latino carmine ſequentes verſiculos ſcripſerat. (b)

Nunc paſſim vix relliquias, vix nomina ſervans
Obruitur proprijs non agnoſcenda ruinis;
Et querimur genus infelix, humana labare
Membra ævo, cùm regna palàm moriantur & urbes?

Ve-

(a) *In Godefr. c. 15.* (b) *L. 2. de Partu Virginis.*

Verùm, ſi quando mentis conceptus inſigni varietate mutantur, ac planè tali, ut illa & ingenio habeat opus, & pro communi loquendi uſu, aliam à priore ſententiam reddat, ſic tamen, ut neque diſſimulet prorſus ſimilitudinem, cum antiqua, ad imitationem pertinent. Atque in hac eò plus laudis erit, ſi veteris illius venuſtatem novo lepôte ſuperaverit. Ejusmodi eſt illud apud Guarinum Satyro dictum convitium.

Ex parte capram, parte præ te fers virum,
At parte ab omni belluam.

Cui dicto acrior vis ineſt, quàm Ovidiano illi,

Semivirùmque bovem, ſemibovèmque virum.

At Ciampolus (placet enim amicorum, qui ætate noſtra claruerunt, exempla producere) æmulatus fortè cenſeri poteſt illud longè pulcherrimum Virginij Cæſarini Diſtichon, quo is in Elegia, quâ partam in Bohemia Ferdinando II. Imperatori victoriam celebravit, Auſtriacorum aliquot regnorum enarratâ

lætitiâ, Neapolitani & Siculi plauſus ſub hoc nobili ſchemate deſcripſit:

Concinit Auſtriacos Siren Tyrrhena triumphos,
Et plaudit fauſtâ, cùm tonat, Ætna face.

Illud quippe prædicatum generale, quod huic ſententiæ gratiam afflat, in hoc potiſſimum eſt, quòd eadem phraſis, quâ Neapolis per Sirenem, & per Ætnam Sicilia notatur, ſimul idonea ſit ad exprimenda ea opera, quæ in ſignum gratulationis adhiberi conſuevere. Ea namque ſunt, celebrare cantu, feſtíſque ignibus victorem illuſtrare. Jam Ciampolus in Paraphraſi *Cantici Benedictionum*, ſimili artificio partem illius verſûs (*Benedicite fulgura*) interpretatus, cecinit.

Inter fulmina, & ætheris fragores
Non ficti Iovis inſonant honores.

Quo loco ſonum illum, quo fulmen, & tonitru tanquam proprio exprimitur juxtà, & ab alijs rebus diſtinguitur, in vocem vertit, qua res iſtæ conditoris ſui laudem clariſſimè extollant. Atque hæc Ciampoli ſententia longiùs etiam ab imi-

imitatione recederet, ſi Virginius priorem tantùm de Sirene verſiculum ſcripſiſſet, non addito altero, quo vox eadem tonitrui, Ciampolo etiam uſurpata continetur. Idem quoque voluptatis fons erit, etſi fortè minùs grati, quia minùs peregrini ſaporis, ſi quis de Gonzagis Heroibus dixerit, Mincij Cygnos eorum decantare laudes, & de Hiſpanis Regibus, hanc eſſe Peruvij ambitionem, ut aurum in eorum coronas ac diademata elaboret.

Caput XV.

Diſcrimen inter laudatiorem veteres æmulandi rationem in componendis fabulis, & in Argutijs inveniendis. Quid ſimilitudo ſtyli?

1. ILlud hac in parte inter fabulas & Argutias intereſt, quòd recentes fabulæ non ſint fortè minori laude dignæ, ſi quando in aliquibus prædicatis minùs amplis (quas *differentias ſubalternas* Dialectici nuncupant) cum antiquis

tiquis conveniunt: puta in conſtitutione ſtatûs, qui fortunæ mutationem præcedit, & ſubinde in mutationis iſtius ſucceſſu; quàm ſi prorſus forent diſſimiles. Eò namque fabulæ veroſimiliores evadunt, quò magis conſentiunt cum ijs eventibus, quos aliàs audivimus accidiſſe: neque minoris eſt ingenij atque operæ, eas in prædicatis magìs ſpecialibus, implicatione nimirum, ac ſolutione, variàſſe, quàm ſi totam arbitrio ſuo telam Author exordiretur, quod & ſupra indicatum à nobis fuit. Geminam hanc animadverſionem Horatius expreſſit ſequentibus verſibus. (a)

Difficile eſt, propriè communia dicere, tuque
Rectiùs Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm ſi proferres ignota indictáque primus.

2. In Argutijs autem, quantò major eſt novitas, tantò etiam copioſior lectori voluptas paratur, & ſcriptoris ingenium emicat illuſtriùs. Quare laus erit amplior, ab alienis ſententijs non niſi ſummas & generales dotes mutuari.

(a) *De Arte Poët.*

3. At-

3. Atque hæc ampliſſima prædicata, ſi quis probè perpenderit, illa ſunt, quæ alio nomine *Canones artis* ac *Loci communes* dici ſolent. Inveſtigârunt enim Eloquentiæ Præceptores, cur hæc vel illa illuſtrium ſcriptorum ſententia legentibus adeò arrideat, deprehenderúntque, cauſas ejuſmodi deliciarum paucas eſſe, ac generales, ſub quibus veluti ſub diverſis ſignis, omnes in varias turmas deſcribantur. Atque hujus experientiæ ductu ſubinde præceptiones ſanxerunt, hanc illámve figuram, ſive artificium, hoc eſt, aliquem ex illis generalibus modis ad ejuſmodi delicias faciendas natum ritè uſurpandi.

4. Cúmque hæc præcepta tam latè pateant, haudquaquam ignobilem Furis aut Imitatoris notam contrahet, qui ea uſurpaverit. Etenim, qui perſpicaciâ ingenij non tantùm *differentiam atomam* (quò nomine in Logicorum Scholis vocitatur) ſed alias quoque *differentias ſubalternas* invenit, is Author habetur ex toto.

Quippe ſumma illa capita *Arguti-*

rum

rum non unius alicujus ſcriptoris propria, ſed omnibus in commune expoſita eſſe cenſentur: ſicut in Elementorum ac ſolis uſuram nulli privatum, ſed univerſis commune jus eſt. Quòd ſi verò certos dicendi modos quis conſectetur, quibus alter ſe antè commendavit, puta talem Periodi tenorem, ſeu talem omnino antitheſis, aut Argutiæ conformandi rationem, aut ſingularem aliquem morem permiſcendi ſententias, ſimilitudines, fabulas, aut denique illam planè numeri lenitatem, ſcabritiémve; tum enimvero dicetur, imitari characterem ſcribendi, ſtylúmque alterius, tametſi argumento, & linguâ diſſentiant. Quippe ex omnibus ijs, quæ prior in alio argumento ac idiomate ſecutus eſt, rite fieri conjectura poteſt, eum, ſi hoc fortè argumentum, atque hac linguâ pertractâſſet, hac ipsâ planè ratione fuiſſe ſcripturum; atque adeò id, quod ipſe, diverſo licèt argumento ac ſermone, conſcripſit, exemplum alteri fuiſſe, qui ſimilem ſcribendi formam in alia materia, alióve ſermone deinceps eſt perſecutus.

5. Et

5. Et quanquam Auguſtinus Maſcardus ſapienter & prolixè ſuper hac re in arte Hiſtorica diſputaverit, nempe quid illud ſit, quo ſtylus hujus, alteriúsve ſcriptoris conſtare à nobis dicitur, nihilominus hæc pauca, quæ attulimus, ejus rei explicationem, niſi fallor, juvabunt.

Et hæc, quæ dicta ſunt de utilitate, quam inventio generalium cauſarum, è quibus ingenio cupediæ ſuæ apparantur, ad illuſtre artificis nomen obtinendum præſtet, palàm faciunt, quantum ſecuturæ diſſertationis commodum futurum ſit, quæ primas radices omnes mirabilium earum illecebrarum, quas *Conceptus* vulgò dicimus, in medium eſt prolatura.

Caput XVI.

Primi tres modi, admiratione delectandi, ex qua efflorescant Argutiæ.

1. UT ne peccemus in probatæ partitionis leges, per quas vetitam eſt, unam rei diſtributæ partem alterâ comprehendi, illas ſolas Argutiarum ſeu *Conceptuum* formas enarrare conſtitui, quæ à ſupradictis ornamentis, & ſingulariter à ſententijs, Metaphoris, ac Comparationibus adſtrictis diverſæ ſunt, quanquam ijs omnibus ſæpe ſæpius inſit admirabile illud, & inexpectatum, ex quo brevis & acutus mucro conflatur, ad Ingenium Auditorum ſuaviter feriendum, atque adeò ad promerendam appellationem Argutiæ.

2. Ut ergo intra præſtitutos limites ſeſe Oratio contineat: primus modus afferendi repentinam ejusmodi novitatem, quæ gratiam *Argutiæ*, & venerem afflat, is nimirum erit, ſi è re propoſita eruas,

eruas, quod communi omnium expectationi palàm opponitur. Talis ille apud Senecam locus eſt, ubi Lycus gloriatur:

Non vetera patriæ jura poßideo domûs
Ignavus hæres.

Quippe, quòd regnum à majoribus acceptum, ſed vi occupatum, obtineret, id Lyco, veluti natalibus ac jure omni deſtituto, probroſum primo aſpectu videbatur. Verùm hoc ille acutè in propriæ virtutis laudem traxit.

3. Alter modus non multùm recedit à priore; cùm nempe ratio, quam alius reddidit, improvisò retorquetur, demonſtratúrque eam in authorem ſuum perinde pugnare. Hac ratione Paron ab Ariſtotele laudatus in Phyſicis, eum, qui tempus ſapientiſſimum appellaverat, quòd ipſo Magiſtro diſcantur omnia, ſcitè confutavit, inſipientiſſimum pariter vocari poſſe reponens, eò quòd tempus res omnes in oblivionem adducat.

4. Geminis hiſce *Argutiarum* formis potiſſima laus debetur, ut quæ & ingenij

nij robore, & utilitate cæteras, quas deinceps referemus, longo poſt ſe intervallo relinquant. Atque ideo videmus illas celeberrimis ex antiquitate ſcriptoribus placuiſſe, qui nominis immortalitatem, & principatum authoritatis hinc fuêre conſecuti. Ejusmodi *Argutiæ* Philoſophum quoque decebunt, eásque non apud Ciceronem modò, ſed apud Ariſtotelem quoque non infrequentes deprehendas, quamvis ab hoc phraſi minùs acuta expreſſas: ſive quia ejus ætate nondum hæc conſuetudo invaluerat, ſive quia infra ingenij ſui faſtigium ducebat, aliunde quàm ab rerum inventarum præſtantia libris ſuis admirationem conciliare; ſive denique adductus ea ratione fuerit, quam annotavit ipſe, nósque ſuprà commemoravimus; quòd ſcilicet partem orationis minùs actuoſam adornari præcipuè dictione oporteat: at verò docentem, ſubtilémque, qualis omnis ipſius oratio eſt, preſſiùs atque ſimpliciùs explicari, ut animus in rem ipſam intentus, nulla ſui parte, ad contemplandam dictionis elegantiam ſeducatur.

5. Tertia forma eſt, cùm ex inopinato mirabili quadam animadverſione rei narrationem interpellamus, quæ tamen animadverſio non planè contraria ſit expectationi, quin imò ex rei geſtæ parte aliqua, jam quidem antehac agnita, ſed nondum pro mirabili habita, eruatur. Ita Virgilius, enarratâ Tyriorum Optimatum fugâ, quâ ſeſe Carthaginem, unà cum ereptis impio Tyranno theſauris, proripuerant, addit: (a)

- - - *Dux femina facti.*

Atque haud paulò acutiùs, cùm navale certamen recenſens, quo Claſſiarij Mneſthei, reliquis jam præverſis, Cloanthi navim aſſequebantur, memorabile illud dictum ſubjungit: (b)

Poſſunt, quia poſſe videntur.

Quo demonſtrat, quî factum ſit, ut tunc ex opinione rei res ipſa, atque ex errore veritas naſceretur. Et hæ quoque *Argutiæ* in Philoſopho pariter laudandæ ſunt, ut quæ veram doctrinam rei admirandæ complectuntur.

6. Omnibus hiſce formis, ut apparet, noſtra

(a) *l. Æneid.* (b) *Ib. 8.*

noſtra illā definitio aptatur, cùm *Argutiam obſervationem mirabilem brevi ſententia comprehenſam* nuncupavimus. Et quia majori admirationi eſt id, quod expectationi planè contrarium, quàm, quod alia ratione improviſum accidit, ideo priores duæ formæ plus habent de *Argutiæ* ingenio, quàm tertia. Inſuper, quia majorem admirationem parit, ſi quis ex eo ipſo, quod adverſarius contra nos modò intorquebat, contrariam conſecutionem eliciat, ſecundus hic modus priori antecellit.

Caput XVII.

De mirabili Falſo, ſive Falſo ad Argutias formandas ducto.

I. Quoniam non eſt omnibus in promptu, veros uniones ex Erythræo Mari, & veram è Phœnicia purpuram petere, ideo ars reperta eſt, utraque in ſpeciem mentiendi. Ita planè, quia non omnibus ingenijs conceſſum eſt, nec omni tempore datur, im-

proviſam veritatem invenire, ſtudium ſuum huc homines contulêre, ut laudem ſibi ac plauſum mendacio, veri coloribus picto pararent: ídque duobus modis.

2. Prior eſt, qui & quartus Argutiarum formandarum modus hoc loco numerari poteſt, cùm, quæ author affirmat, vera quidem ſunt, non tamen inuſitata, veréque miranda, quod tamen ipſum quoque is perſuadere Auditori conatur. Exemplo ſit celebris illius carminis principium apud Joannem Caſam, quod latinè ſic reddas: (a)

Cura, quam nutrit timor, & pavore
Proficit, plus & metuendo majus
Colligis robur.

Quippe tametſi veriſſimum ſit, zelotypiam timore roborari, verum tamen non eſt, quidquam in eo ſubeſſe prodigij: nec enim ſingulare, ac proprium timori, imò rebus omnibus eſt commune, quorundam effectorum cauſam eſſe, quibus & incrementum addat, & vigorem. Illud autem inſtar portenti eſſet, ſi vivum hominem timor nutriret, con-

(a) *Metro 8.*

fir-

firmarétque. Atque hic artem ſuam Poëta exeruit, dum Zelotypiam per Proſopopœiam ſic exponit, ut cum ea, veluti cum homine loqueretur. Ex quo conſequitur, ut dignum admiratione videatur, quod alioqui nullam nobis admirationem peperiſſet.

3. Et hujus quidem generis Argutiæ Poëtam non dedecent, commendant potiùs; quippe cui delectare magis, quàm docere, propoſitum ſit, negotiúmque omne cum populo, qui haud ita ſubtiliter dignoſcit id, quod revera eſt inſolens, ab eo, quod fraude ſcriptoris in eam ſpeciem adornatur. Imò, cùm mendacium probè ſibi vultum veritatis aptavit, congruentiores forſitan Poëtis ejusmodi Argutias dixeris, quàm ſi vero ipſo prorſus ſubnixæ, & ab omni fuco puræ forent. Id enim ipſius magis proprium eſt, quod ſuo planè ingenio procreârit, non à rerum ſubjectarum indole oblatum acceperit. Et universè, quisquis æmulatricem artem profitetur, eò majorem laudem ſibi comparat, quò nobis ille magìs imponit: quandoquidem ipſa

fraus ſubinde deprehenſa, novam admirationem creat, & magiſterium occupat veritatis. Quapropter pictura ſe ſupra ſtatuariam extollit, quòd hæc, quidquid trina dimenſione conſtat, tribus pariter dimenſionibus imitatur; at verò pictura efficit, ut duæ dimenſiones trium præbeant ſpeciem. Veruntamen Philoſophus, vel hebetis ingenij in intelligendo, vel animi in docendo parùm ſynceri notaretur, ſi, non dico, adulterinam gemmam pro vera, ſed vulgarem pro inſigni Adamante vænum exponeret. Et forſan hac culpa ſtylus Platonis purgari non poſſet, niſi cauſaremur, homines ſapientiæ nimiùm quantùm pertæſos, utiliter, adeóque cum laude ineſcari mirabilitate, vel in ſpeciem tantùm confiɗta: quod tamen Ariſtotelem non movit, dedignatum ſcilicet, lectores & encomia mendacijs conquirere.

4. Aliæ Argutiæ, quæ à nobis quinto loco collocantur, ipsâ quoque rei, quam afferunt, ſubſtantiâ, fucum faciunt. Quod ut plurimùm fit, dum in ſignificatu proprio accipitur, quod communi homi-

hominum ſermone circumferri quidem ſolet, ut verum, ſed ſenſu Metaphorico tantùm, & figurato. Hujus indolis eſt Neoterici ſcriptoris ſententia, qui Phidiam laudaturus, ita carmen obſignat: (a)

Verè tu Deus es mihi:
Nam vitam dare ſaxis,
Solus, qui Deus eſt, poteſt.

Quæ ratiocinatio in eo fallit, quòd laudem illam, qua præſtantiſſimi ſculptores vitam dicuntur *inſpirare Marmoribus*, in proprio ac genuino ſenſu accipiat: quo utique modo Divinæ potentiæ argumentum eſt: quale Jovi priſcis in fabulis aſcribitur, qui jactos à Deucalione & Pyrrha lapides animavit: cùm tamen decus iſtud ſtatuarijs non verè, ſed Metaphoricè tribuatur, ob eam nempe ſimilitudinem, ob quam, marmor eorum arte effigiatum, rebus viventibus comparatur.

5. Hujus generis Argutiæ in Poëta non magnopere laudandæ, in Philoſopho inſuper vituperandæ ſunt. Cùm enim nimis, quàm apertè, falſæ ſint, ita ut

(a) *Marinus*.

ut manibus ferè palpari fraus illa poſſit, non magna pariter ipſis ineſt dexteritas imitandi, neque magna vis ingenij: atque adeò parum afferunt admirationis, quæ tamen à Poëtis maximè requirimus. Non perinde Argutias illas, quas priore loco recenſuimus, modici quis ingenij dixerit: nam quamvis falſa infinitò ſint numeroſiora veris, adeóque magìs obvia; & captioſarum, quàm ſyncerarum argumentationum longè major proventus ſit; nihilominus raræ atque arduæ inventionis opus eſt, ejusmodi falſa proferre, quæ omnibus facilè, niſi lynceis planè ſint oculis, veri ſpecie non imponant: & ſophiſmata tam ſcitè componere, ut validæ confirmationis ſpeciem præſeferant. Addidi, eas in Philoſopho magnopere reprehendendas eſſe; nempe quia nihil afferant utilitatis ad ingenium nobili quapiam cognitione ditandum. Solent eæ nihilominus, extra ſeveriores diſciplinas poſitæ, placere lectoribus, ijs maximè, quibus infirmum ingenium obtigit. His enim non admodum arridet oratio, magnis

paſſi-

paſſibus validorum Enthymematum procedens, quippe quam ipſi per virium imbecillitatem aſſequi ſatìs non poſſint. In hujusmodi autem ornamentis, atque luminibus duplex inveniunt pabulum voluptatis. Primum eſt, quia ſibi mirè placent, ſi quando latebras deprehendunt, in quibus fraus illius ratiocinationis delituit: cùm contrà non ſatìs idonei forent ad ferendam de argumento ſubtiliore ac ſeveriore ſententiam. Alterum eſt, quòd, ſicut omnes id opus, ceu magnum aliquid, ſuſpicere amant, cui virium ſuarum modulus, vel nulla ratione, vel non niſi ægrè ſufficeret: ſic iſti, audita illa fallaci quidem, ſed nova probatione, ac ejusmodi planè rei, quam, ſi vera foret, utique mirabilem eſſe fateremur, dexteritatem Auctoris obſtupeſcunt, argumentationem illam ex ejusmodi vocibus eruentis, quæ velut indubitatæ ab omnibus uſurpantur, etſi non eo ſenſu, qui ad rite concludendum requiritur.

6. At verò firma validáque ingenia, quibus vires abundant, ut ſequi è veſtigio

poſſint ſcriptores, arduis licèt præruptíſque itineribus ad reconditam veritatem gradientes, & quæ non tam humiliter de ſe ſentiunt, ut vel fraudes tam apertas deprehendiſſe glorientur, vel dignum admiratione ducant, quod longè infra facultatem ſuam abjectum vident: hæc, inquam, ingenia luſus ejuſmodi, velut puerorum crepundia facilè aſpernantur: niſi fortè illos conſiderent, velut alijs hebetioribus ingenijs adaptatos: atque ita ſcriptoris artem commendent. Ob contrarias autem rationes alio longè modo afficiuntur erga illas Argutias falſas, quas priùs expoſui: ubi ſcilicet mendacium ſatìs aptè veri ſpeciem induit. Cujus generis illa Lucani eſſe videtur, cùm inſepultos nihil grave pati contendit, quia

Cælo tegitur, qui non habet urnam.

Iſtud nimirum prima fronte verum omnino manifeſtúmque videtur, eò quòd omni marmore ac metallo nobilius longè tegmen Cælum ac ſidera præbeant: ſed revera fraus ſubeſt: quippe non ideo ſepulchrum in votis eſt, ut

quo-

quoquo modo ſub pretioſo aliquo tegmine condamur: ſed honor ille appetitur, quem pretioſum tegmen affert, ſi à ſuperſtitum obſervantia ſtudióque in hunc ipſum uſum deſtinetur, ut corporum noſtrorum reliquias operiat. Hoc autem munus profectò cælum haud præſtat, quippe quod perinde obſcœnorum quorumcunque animalium cadavera tegit, éſtque alijs potiùs, quàm huic obſequio deſtinatum. Quodſi autem ſepulchrum tam honorificum obtinere nequimus, tale ſaltem nanciſci exoptamus, quod ab oſſibus noſtris vim atque injuriam hominum ferarúmque prohibeat; id quod à ſtellato illo cæli tegmine nemo ſanus ſperaverit.

7. Hujusmodi Argutiarum copiâ, forſan præ omnibus alijs, tres illi Annæi affluxêre, quos Corduba Latio tranſmiſit. Et quamvis apud eorum aliquem, cùm ſe pro Philoſopho, non pro Tragœdo, gereret, digni ſint modeſta reprehenſione, nihilominus, cùm in aliud ſcriptionis genus inciderint, ſummis etiam, uti diximus, ingenijs probantur. Vel

enim tales ſententiæ (quod quidem Lectorum plurimis accidit) ubi primùm occurrerunt, accipiuntur ut veræ; adeóque vel inexpectatæ rationis admiratione delectant: vel certè deprehenduntur in fraude: & hinc quoque legentis animus, ſit licèt acutiſſimus, duplicem voluptatem capit. Nam & earum inventionem perdifficilem eſſe agnoſcit, ideóque miratur auctorem: & deprehenſam à ſe illam fraudem gloriatur, quæ turbam eruditorum quoque ſubterfugerat: ideóq; libros ejusmodi legit jucundiùs, qui occaſionem præbent perſpicaciæ ſuæ experiundæ. Quæ cauſa eſt, quòd tenebricoſiſſimi quique ſcriptores, ut Tacitus, Perſius, Dantes, cum ſingulari voluptate legantur, ſiquidem intelligantur: & qui probè literis Græcis imbutus eſt, Græcos libentiùs, quàm Romanos, etſi paris elegantiæ, ſcriptores evolvat.

8. Sexta claſſis Argutiarum ea ſtatui poteſt, quæ priori non multùm abſimilis, dignitate tamen eidem concedit: nempe, cùm mira quæpiam conſecutio comprobatur paralogiſmo, qui ex ancipiti

piti

piti verborum intellectu enaſcitur. Sic, ut ex morum aliqua ſimilitudine demonſtraretur, Neronem ab Ænea genus ducere, dictum quondam fuit: (a)
Suſtulit hic Matrem, ſuſtulit ille Patrem.

Quæ tamen ſententia multò elegantior evaſit, quàm ſoleant aliæ hujus generis Argutiæ, quæ ex ambiguo & verſatili vocabulorum ingenio derivantur: quia ſcilicet hoc ipſi eſt peculiare, quòd agnita etiam vocis ambiguitas firmaret revera propoſitum Auctoris, nempe quanto intervallo Æneæ pietas, ab immanitate Neronis diſtaret.

9. Huncin modum etiam Tullio argutari libuit in 11. Philipp. cùm enim objeciſſet Antonio, quòd inter Lupercos nudatus, ſubinde concionem, tam indecoro corporis habitu, advocâſſet, *Diſertiſſimum, inquit, cognovi Avum tuum, at te etiam apertiorem in dicendo: ille nunquam nudus eſt concionatus: tuum hominis ſimplicis pectus vidimus.* Cæterùm hoc genus argutiæ, cùm lepôre illo deſtituuntur, quo eas Ironia maximè mi-

(a) *Sueton. in Nerone.*

randas facit, non debent niſi jocantibus concedi. Ita cenſuit Quintilianus: à quo Euripides ideo culpatur tanquam frigidus, quòd Etheoclem de moribus fratris ſui Polynicis ex nomine jubeat conjecturam facere. Idem nihilominus tam frequentes illas argutias, quæ obſtetricante ingenio Tullij, è nomine *Verris* ſoboleſcunt, cum laude approbat. Cauſa diſcriminis illa eſt, quod ludentem nec vera, nec ſeria proferre neceſſe ſit. Quin planè non decet jocos ejusmodi ornatus, qui pretioſæ inſtar veſtis ſuo pondere gravet ingenium. Imò verò facetiæ nonnihil inconditi habeant oportet, ut riſum proliciant, qui non niſi à quadam ineptia, & abſurditate generatur. Delectat autem, & admiratione aliqua percellit lectorem, quòd in linguæ inſtitutione ſic omnino voces fortuna paraverit, ut de induſtria locum quæſiviſſe videatur, ejusmodi argumentis in veri ſpeciem adornandis.

10. Nunquam ſcilicet admiratione vacat, adeóque nec voluptate, quoties depre-

deprehendimus, ſic à fortuna quidpiam perfectum eſſe, quemadmodum arte, ac induſtria perfici potuiſſet. Qua de cauſa etiam Ariſtoteles dixit, inter fortunæ opera illa maximè miranda, quæ videri poſſunt, ſtudio in eum modum fuiſſe adornata. Cujus rei exemplum producit Mitij ſtatuam Argis erectam, quæ illum ipſum ſuo caſu oppreſſit, qui ſe Mitij cæde polluerat. *Hinc quoque fit, quòd tanti faciamus rudes licèt, obſcuráſque arborum ac animantium formas fortuitò quodam particularum concurſu impreſſas Achati. Verùm hæc voluptas in re noſtra tenuis eſt admodum, quia, cùm anceps illa verborum, & incerta notio frequens oppidò ſit in pleríſque linguis, admirationem imminuit. Quapropter extra facetum argumentũ indignantur excelſa ingenia, ſe à ſcriptore identidem detineri, ut ad obſervandas ejuſmodi reculas cogitationem demittant: non ſecùs, ac Princeps offenderetur, ſi vir quiſpiam Nobilis omne ſuum inſtrumentum argenteum, atque [illegible] adeò

adeò vaſa etiam levia vellet aliud ſuper aliud ipſi commonſtrare.

11. Hoc tamen faſtidium aberit in duplici eventu. Primò quidem, ſi prudenter credi poſſit, non ſine arcano Numinis conſilio accidiſſe, ut idem nomen res diverſas ſignificaret. Ita namque venuſtiſſima fuit illa ſalutatio, qua Patriarcha Hieroſolymitanus Eudociam Auguſtam, ſacræ illius Civitatis mœnia inſtaurantem, excepit: non ſine cauſa, inquiens, Regium vatem ſcripſiſſe: *Benignè fac Domine in Eudocia* (quod idem eſt Græcis ac Latinis, *in bona voluntate*) *tua Sion, ut ædificentur muri Hieruſalem*. Item: ſi quando utimur ambiguo vocabulo, ut nullo principalis ſententiæ detrimento aliam quandam cogitationem noſtram exprimamus, adeóque vocabulum illud non tam quæſitum ſtudio, quàm forte fortuna oblatum videatur. Ita magnus ille, (a) vetúsque Italicæ lyræ fidicen celebrem Odam, in amato nomine ludens, exorſus eſt; qua quidem in re aliàs eſt ſupervacuus & ingratus.

12. Nunc

(a) *Petrarcha.*

12. Nunc, ut paucis rem complectar, omnes eæ Argutiæ, quibus falſum ſubeſt, dedecent Doctorem, ſi tamen eas vel tanquam veras afferat, vel aliter omnino illis, quàm criſtis utatur, ad validæ cujusdam caſſidis ornamentum, aut tanquam pictâ opere Phrygio vaginâ, obtegendo enſi deſtinatâ. Huic præceptioni exempla fidem adſtruent. Quintilianus, cùm in ſtylo Didaſcalico exiles aliquas Argutias appellat flores, *quos ſi leviter excutias*, decidunt; rectè id profectò dicit, quia hac phraſi doctrinam profert omnino veram, & aliunde ſatìs probatam; nec enim ea illi mens erat, ut lectorem eo nomine *florum*, quod conſenſu hominum ad ornamenta quædam orationis translatum eſt, illico in eandem de ornamentis iſtis, atque de floribus ſententiam pertrahat: ſed, quod dicere ratio cogebat, id jucundo illo ſchemate voluit declarare. Mirum enim, adeóque jucundum nobis accidit, quòd nomen illud *florum*, quo Argutiæ pariter appellatæ ſunt, quoniam perinde, ac flores, & eminent ſpecie, & utilitate deſti-

ſtituuntur, talem fortuitò ſucceſſum habuerit, ut ob aliam quoque ſimilitudinem potuerit imponi, quæ Quintiliani propoſito in primis congruebat, etſi ea minimè illis in mentem venerit, qui antehac illam Metaphoram uſurpârunt. Et ſimilitudo quidem hæc eſt: quòd ſicuti, ſi veſtem floribus inſtratam manu concutias, iſti continuò prolabantur, & venuſtatem veſti detrahant, qua priùs ſuperbiebat: ita ſi cogitatione ſcriptionem levibus adornatam argutijs excuſſeris, illæ pariter de authoritate ſua decidant, neque jam opus illud tam venuſtum reddant, quàm antè nobis viſum fuerat. At verò, ſi Quintilianus præceptum illud ſuum hoc uno argumento legitimè probare contenderet, quòd nimirum communis hominum ſenſus in id conſpirare videatur, dum orationis decora *flores* ſolent appellare, peccâſſet ſanè falſa ratiocinatione, quandoquidem ea Metaphora alio planè conſilio Argutijs adaptata fuit, quàm ut hujus rei fidem faceret.

13. Quod de Metaphoris diximus, id

id in fabulis pariter locum habet, ſi quando eas certæ cujuſdam Allegoriæ gratiâ inventas ad aliam Allegoriam, quæ propoſito noſtro ſerviat, venuſto lepôre derivamus. Sic ille, qui demonſtrare cupiebat, quàm rara cultoribus Poëticæ præmia obvenirent, ideo Muſas pro Virginibus habitas à veteribus dixit, quòd rei familiaris anguſtiæ dotem illis negâſſent, qua comparare ſibi conjugem poſſent.

14. Hæ quoque argutiæ voluptatem illam, quam afferunt, eodem ex fonte trahunt, quem non ita pridem indicavi. Miramur nempe, quòd in fabulæ illius inſtitutione fortuna id contulerit, quod huic ſcriptori commodiſſimum futurum erat, quódque proinde ars eodem planè modo fuerat conſtitutura, ſi hoc ipſo conſilio fabulam condidiſſet. Neque alio nomine Anagrammata, Centones, & hoc genus ſcriptiones aliæ nobis commendantur.

15. Sed jam aliquando filum orationis reſumam. Dixi, eos quoque peccaturos in Didaſcalico ſtylo, qui, vero quopiam

piam documento in medium allato, per falſas ejusmodi rationes, quanquam & ingenij pluſculum habeant, & non pro vincentibus venditentur, excurrerent: ut enim nihil gravius committant, peccarent certè vana oſtentatione Iſocratææ ac Sophiſticæ Eloquentiæ, quævé non eam, quam promittit, utilitatem, lectori afferat, ſcientiæ lucris intento. Qua in re Senecam Philoſophum arbitror omnem veniæ modum exceſſiſſe.

Atq; hæc de Argutijs, tam quæ vana admiratione ſuſpendunt, quàm quæ falſo tanquam fundamento nituntur: nempe quæ vel translatum ſeu proprium capiunt, vel ancipiti vocum ingenio ludunt, vel denique ratiunculis captioſis fucum faciunt. Præterea cui, quando & quamobrem placeant, ac demum, quatenus ſtylo docenti poſſint indulgeri, dicta ſunto.

Ca-

Caput XVIII.

De Argutijs amplificatione miranda ſubnixis.

1. SEptimum genus argutè dictorum eſt, cùm ex amplificatione inexpectata mirabile quoddam efficitur. Atque huic etiam noſtra deſcriptio, qua ſuperiùs Argutiam finivimus, non minùs appoſitè congruit. Quippe inſtar prodigij eſt legentibus, quòd unus poſt omnes alios ſcriptor quidpiam repererit, quo res illa inſigniter grandeſceret, quam is, ut magnam, animo ſubijcere conſtituit.

2. Hac Argutiarum forma, tanquam ciendis riſibus nata, ob improportionem, quæ familiaris admodum eſt amplificationis pediſſequa, Plautum, aliiq; facetiarum amatores magnopere delectati ſunt. E Poëtis etiam ſerijs, ac gravibus inter Latinos quidem Lucanus, inter Italos Petrarcha, ſæpiùs eâdem uſi ſunt, ídque cum laude. Poteſt verò eſſe amplificatio vel ipſius rei, vel certè affe-

ctûs,

ctûs. Et res quidem digna ſit oportet, quæ ſic amplificetur: affectúſque debet eſſe veriſimilis. Secus enim in vitioſam hyperbolem amplificatio degeneraret: in quem ſcopulum nonnunquam Martialis impegit, hac verò ætate paſſim, ac ſine freno præcipites plerique ruunt.

3. Ex inopinis amplificationibus veroſimilis affectionis mirè animum meum rapit illa Megaræ apud Senecam, (a) querentis, Lycum, à quo regno pariter ac liberis orbata fuerat, populorum odijs flagellari. Nempe id genus querela planè contraria expectationi Auditorum accidit, veluti contraria ejus votis, qui odio implacabili erga quempiam afficiatur. Neque minùs expectationi repugnat ratio, quam illa reddit hujúsce deſiderij, planè ut priorem admirationem alio prodigio obruat, dum queſtuum ſuorum ſcaturiginẽ ex alio prorſus, ac videbatur, affectu derivatam demonſtrat, nempe quòd ipſa in ſuum unius pectus univerſum Tyranni odium, ceu theſaurum quendam, optaret congerere.

4. Ma-

(a) *Seneca in Herc. fur.*

4. Magnificam verò & inſperatam amplificationem rei ex eodem Seneca deprompt am reperire licet apud Taſſum. (a) Is enim, cùm Sultani Ægyptij Majeſtatem, inter agminum ſuorum ordines ſolium regale prementis, deſcripſiſſet, ejúsque Conopæum *immenſum argento cælum* appellâſſet, ita colligit.

Phidiacum talem cælum, vel finxit Apellis
Dextra Iovem.

Sanè ſatìs auguſta videri hæc amplificatio poterat, nec fortè quisquam ſperâſſet, eam altiùs tendi poſſe, cùm, ecce tibi! repentè ſubjungitur:

- *Sed nempe Iovem tum fortè tonantem.*

Quod auctarium in animo Auditoris ſimilem admirationem parit, ac Romæ poſtrema, eáque copioſiſſima nocturni cæli conflagrantibus tubulis inauratio, cùm poſt binos priores ex Adriani mole miſſilium flammarum imbres, qui ſpectaculo illi finem impoſuiſſe videbantur, novo ſtupore advenas obruit.

5. Con-

(a) *L. 5. Controv. 34. Cap. 17.*

5. Conſimili arte & forſan ingenio majore, idem Taſſus egregiam humanorum corporum cælaturam in portis Palatij, magicis artibus exſtructi, depinxit. (a)

Vox quibus una deeſt, vitæ nil amplius optes.

Atque hic Lector ad apicem amplificationis ſe putat perveniſſe, ac parum abeſt, quin veluti vulgarem, tritámque aſpernetur, cùm admiratione improviſa à ſequenti verſiculo percellitur.

Sed neque vox deſit, ſi lumina credulus audis.

Quaſi os, labia, & tota facies tam graphicè fuiſſent expreſſæ, ut etiam actiones inde promicare viderentur; adeò ut oculato, ſed ſurdo, fides fieri poſſet, ea ſimulacra mutuos inter ſe miſcere ſermones. Quæ ſententia minùs quidem lepidè ac venuſtè, at forſan robuſtiùs (validum diceres, ſed rubiginoſum enſem) ante Taſſum à Dante fuit expoſita in hunc modum: (b)

Ante

(a) *Id. Cant. 16.* (b) *Cant. 10. de Purgator.*

Ante oculos numeroſa cohors apparuit, omnis
In ſeptem diſtincta choros; geminos ea ſenſus
Faſcinat: unus, ait, cantavi, pernegat alter.
Sic pariter fumus, ſacris quem pictor aceris
Fundebat, nares oculósque in bella vocavit.
Hic ait: ille negat (tanta eſt diſcordia) ſenſus.

6. Has amplificationes magìs etiam gratas, quia magìs inſperatas efficit figura correctionis: veluti, cum Theſeus Megaram Herculis reditu ſolatur apud Senecam. (a)

- - Si bene novi Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit,
Lentum eſt dabit, dat: hoc quoque lentum eſt: Dedit.

Quam ſententiam venuſtate forſàn ſuperaret illud Petrarchæ ſeipſum corrigentis:

Nox quæ terrifico proxima caſui
Succeſſit tenebris, quâ meus occidit.

(a) *Herc. fur. act. 3. ſ. 1.*

Extinctúsque fuit ſol.
Immo eſt repoſitus Polo.

Superaret, inquam, propter ornamentum, quod ſimul & illuſtri & continuatâ feliciter Allegoriâ capit: niſi vitium illud ſubeſſet, quo amplificationes corrumpi, principio notavimus, nempe rei nil tale promerentis humilitas.

Quam ob rem hæc argutia nocturno videlicet frigore riget, quæ alioqui à ſole fulgeret, calerétque. Niſi fortè ob majorem noxiam veniâ dignum cenſuerimus, quia ſcilicet hæc erant amantis inſomnia, quæ rem in animo Poëtæ auxerunt, iiſque laudibus exæquârunt.

7. Nihilo ſecius hoc genus argutiarum ab inexpectata ſumptum amplificatione adulterari quandoque ſolet, nempe cùm falſò inædificatur. Exemplum ex eodem, quem laudavimus, Taſſo excerpam. Is, cùm ſe accinxiſſet ad deſcribendum conflictum ultimum, quo de rei ſumma Chriſtianos inter, Páganóſque ad mœnia Solymorum decretum

fuit,

fuit, ait, ſub idem tempus omnes cælo nubes exceſſiſſe, ſubdítque: (a)

- - Et ſine velo
Expetijt Cælum fortiſſima facta tueri.

Quæ ſententia in Epico Poëta de argumento longè graviſſimo, & ex ſuo ipſius ſenſu differente, non ſanè plùs quàm mediocris, niſi mediocribus forſan ingenijs videbitur: vel certè, ſi magnis etiam mentibus probabilis viſa fuerit, eam haud alio nomine commendabunt, quàm ut mediocribus ingenijs deſtinatam. Quippe nemo tam rotundi capitis eſt, ut neſciat cælum hoc aſpectabile, nec ab oculis ad videndum, nec ab animo ad volendum eſſe inſtructum: Cælicolas autem (ſi fortè de his loqui voluiſſet) nullo, quamvis ſpiſſo ſtipatarum nubium velo, à contemplatione mortalium facinorum præpediri.

8. Has argutias ſanè procul à Philoſopho removemus, quem, uti dicebam, haudquaquam decet, ut juſtum rerum pondus exaggerando prægravet. Tum verò probroſa maximè foret illa ampli-

(a) *Cant. ultim.*

ficatio, ſi mendacio ſuperſtruatur: non ideo tantùm, quia ſcientiæ venenum eſt, quidquid cum vero pugnat, verùm etiam ob eam cauſam, quòd hujusmodi amplificationes in promptu ſint, adeóque vulgares, & gravi ſcriptore indignæ. Ac propterea videmus, eas etiam Poëtis majorum gentium, Homero, Virgilio, Pindaro, Horatio, & horum æqualibus deſpicatui fuiſſe, tanquam ornamenta infra herilem ſortem abjecta. Suppetebant enim ipſis alia minùs pervulgata, majoríſque pretij ornamenta, quibus ſeſe magnos exhiberent in Eloquentiæ regno, atque in oculis Poſteritatis.

9. Non tamen à gravi Poëmate, imò ne ab opere quidem Philoſophico proſcripſerim Argutias quasdam, quæ hoc in genere punctum omne tulêre; cùm verum eſſe demonſtrant, quod videri Hyperbolicum potuit. Hujus generis, meo quidem judicio, eſt illa Ciampoli unico verſu comprehenſa, de qua dicere ſolebam, fore ut hunc eligerem, ſiquidem omnes ejus verſiculos interire neceſſum eſſet, uno aliquo excepto, qui

reliquorum fato ſuperſtes perennaret. Is ergo, cùm in carmine de Atramento, Herculis expeditiones ceciniſſet, paucis ſed gravibus verbis ſummos veluti apices earum perſtringens, ita concludit.

Sitque illi ſua dextra Phalanx ſua.

Quippe ſi res in univerſum conſideranti viſum fuiſſet Hyperbolicè dictum, poſſe Bellatorem unum, citra commilitonum aliorum ſubſidium, ſolâ ſuâ dexterâ talia facinora edere, qualia Imperator cum robore ingentis exercitûs ſolet, hoc tamen de Hercule pro veteris famæ credulitate veriſſimè potuit pronunciari. Neque multùm ab hac ſententia recedit altera ejusdem Auctoris; cùm magnanimum illud opus, quod Dantes Aligerius fuerat aggreſſus, celebraret. Ita namque canit.

Dantes Aligeri prodigium ingenî,
Cujus carminibus, inclyta fabula,
Voto magnanimo Auguſtius integro
Theatrum orbe popoſcerat.

Ex antegreſſa diſputatione noſtra diſci potuiſſe opinor, ecquod pretium ſit, ac dignitas Hyperbolicarum argutiarum:

quando, & quos deceant dedeceántve: quænam cæteris antecellant, adeóque dignæ ſint, ut etiam à dogmaticorum operum Majeſtate adoptentur.

Caput XIX.

De Oppoſitis.

1. Claſſis Argutiarum octava tribui *Oppoſitis* poteſt, de quibus Ariſtoteles (a) in Rhetorica multa cum laude verba facit, in plures ea ſpecies partitus, reddita etiam ratione, ob quam placere ſoleant. Quæ quidem ratio in eo verſatur, quòd animum juvet intueri eam ſive ſimilitudinem, ſive proportionem, atque concordiam rerum, quæ cæteroqui pugnare invicem, aut certè nulla neceſſitudine jungi videbantur. Verùm hîc quoque meminiſſe oportet, quædam *Oppoſita*, ſive multo jam uſu attrita, ſive paſſim, ac facilè occurrentia faſtidium creare lectori, ſi non alio commodo adhibeantur, quàm ut

(a) L. 3. c. 9.

ut ea ipſa Antitheſis exprimatur. Quapropter M. Annæus Seneca (a) poſtquam Ovidium eo nomine collaudâſſet, quòd mundum aquis hauſtum luculenter poſuiſſet ob oculos, cùm ait:

Omnia Pontus erant, deerant quoque littora Ponto.

Subinde graviter in eundem animadvertit, quòd illas, ut ipſe ait, ineptias adjunxiſſet:

Nat lupus inter Oves.

Quaſi verò in vaſtatione orbis terrarum nihil eſſet, quod magìs admirationem noſtram mereatur, quàm lupos & oves, etſi naturâ ſuâ diſſidentes, promiſcuè tamen undis innatâſſe. Et certè quemadmodum hic Poëta magnis etiam argutijs affluit, ita idem eſt in oſtentandis etiam minimis immodicus. Quamobrem nimia ejus opulentia ſpeciem quandoque præbet inopiæ, nempe cùm uſitatas paupertinis ingenijs cogitationes ad pompam producit.

At verò moderatè temperantérque uſurpatæ rerum Antitheſes in ſeveriſſi-

(a) *Quaſ. Natur. l. 3.*

ma etiam Philoſophia laudandæ ſunt. Neque illas averſatus Ariſtoteles fuit: ut, cùm libro tertio Ethicorum capite 13. intemperantem reprehendens, qui cupidine voluptatis non obtentæ graviter torqueatur, haud exiſtimavit jocularem illam argutiam: *Paradoxum videri, dolore quempiam confici cauſâ voluptatis.*

2. Dixi rerum Antitheſes; nam alia *Oppoſitorum* centuria eſt, quæ non ipſarum rerum ingenium, ſed verborum ſenſum ſequuntur. Atque hæc quoque venuſtatem & leporem habent in facetijs: ut illud in Epiſtola Phillidis ad Demophoontem.

Demophoon ventis, & verba, & vela dediſti:
Vela queror reditu, verba carere fide.

Oblectamentum autem, quod hîc capitur, eadem illa ratione nititur, quam ſæpius inculcavi, puta quòd Auditor cum admiratione deprehendat, id fortuitò cecidiſſe, quod non niſi ab arte fuerat expectandum: nempe voces, quibus Authoris ſententia explicatur,

tur, ipſo etiam ſono ita inter ſe conſentire, quemadmodum res ipſæ, ijs vocibus expreſſæ, vel proprietatis alicujus, vel affectûs ſimilitudine conjunguntur. Quæ pariter cauſa eſt, quòd hac tempeſtate Rhythmus tantopere commendari vulgò ſoleat. Mirantur quippe homines, in ſermone, alios prorſus ob fines condito, voces inveniri, quæ ſimul ſcriptoris menti explicandæ ſerviant, ſimúlque parili ſono cadant, ídque perpetuò atque conſtanter.

3. Verùm hac voluptate lectores privantur, cùm author manifeſtè ſibi negotium faceſſit, torquétque ſententiam, vel corrumpit, in gratiam vocum, aut ſono aut numero ſibi reſpondentium. Quare hoc genus Oppoſita & Rhythmi tum demum jucundiſſimi accidunt, cùm non ſtudioſè veſtigati, ſed Authori, cùm verba promendæ ſententiæ ſuæ idonea quæreret, ſe ſe illa ſponte videntur obtuliſſe, è quibus ſoni quoque, ſeu metri concordia, ceu fortè fortunâ prodierit. Hinc fit, Rhythmũ in exiguo pretiò haberi, ſi quando ex uſitatis finitio-

nibus verborum componitur, quia iſtæ non à fortuna, ſed conſilio primorum ſermonis conditorum acceperunt, ut ſimili ſono deſinerent. Quocirca mirari haudquaquam ſolemus, ex his erui potuiſſe expreſſionem ſententiæ ſimili cadentium verborum ſono modulatam. E contrario autē Rhythmis ejusmodi jucundiùs oblectamur, qui non ſolùm erumpunt è vocibus, quibus in ſermonis conſtitutione, ſolius errore fortunę, una, eadémque terminatio obvenit, ſed qui è proprijs etiam rerum nominibus ducitur, aut alijs verbis ſeu neceſſarijs, ſeu opportunis, ut nullus relinquatur ſuſpicandi locus, ne fortè arceſſita ſint ad hunc finem, ut metro obnoxio deſervirent. Atque hac de re Thomas Stiglianus, vir nobilis, atque unus è paucis, qui de re Poëtica, déque Italica lingua ſcienter ac Philoſophicè diſſeruerint, inſigne opus, ac dignum publica luce conſcripſit, in quo hanc ipſam artem tradit, inſtruendæ, veluti fortuitò, Harmoniæ.

4. Atque ut compendio ediſſeram: hinc

hinc illud celeberrimum Encomium deſumptum eſt: *Ars quæ non ſapit artem.* Quippe non eſt admirationi, tale quid-piam potuiſſe confici ab arte, ſed omnis admiratio & voluptas inde naſcitur, quòd ſolo fortunæ luſu effectum videatur, quod nemo crediderat ſine arte fieri potuiſſe. Videatur, inquam, quia, re ſubinde diligentiùs conſiderata, deprehendimus ſcilicet, quantæ artis atque induſtriæ opus fuerit, ut arti ea ſpecies circumponeretur, qua ſe pro fortuito casûs opere ferret: ac adeò majorem admirationem promeretur. Frigida igitur illa ſoni Antithesis apud Petrarcham videtur:

Iſta florebunt nimis ante juſtum
Tempora tempus.

Et illa quoque apud Marinum de cæde SS. Innocentium:

Queîs guttura ſecta cruorem
Emiſere foras vice vocis, verborúmque.

Quippe in primo longinqua illa tranſpoſitio, quæ voces *iſta* & *tempora* diſterminat, aſperitatem conjunctam habet, quæ manifeſtè prodit curam captandæ

vocum concordiæ: & in poſteriore, cùm poſt nomen illud *vocis* aliud ſynonymon occurrat, nempe *Verborum*, quod explendo ſcilicet verſui neceſſarium fuerat, priori ejuſdem poteſtatis vocabulo locum à Poëta factum omnes intelligunt non alio commodo, quàm ut frivola agnominatio exſculperetur.

5. Hoc genus argutiarum dedignari debet Philoſophici ſtyli Majeſtas, non tamen tam ſevero ſupercilio, ut turpe putet, etiam ubi id fieri poteſt ſine incommodo currentis calami, ſeriæ doctrinæ veritatem hoc verborum ſimili ſono cadentium lepôre interdum explicuiſſe; quemadmodum ſcriptor egregius ex amicis Hiſtoriæ ſuæ perquam appoſitè hanc ſententiam inſeruit: *Docent, quæ nocent.* (a) Quæ utique nec Philoſopho indigna foret. Sed interdum nempe hoc impune fuerit: quia non debent à Philoſopho hi luſus verborum, quantumvis opportuni & faciles, frequentari, ea utique de cauſa, quam toties in ſimilibus præceptionibus protulimus, quia

(a) *Fam Strada Dec.* 2.

quia proceſſu temporis animum ab attentione, quam diſputatio ſibi vindicat, abducunt in diverſa, cum exiguo emolumento, eóque celeriter exſaturante profectûs non animi causâ legentem. Ita enim naturâ comparatum eſt, ut voluptas vertatur in nauſeam, cùm animum à majore voluptate ſeducit. Sic, qui picturâ impensè delectatur, ſi fortè in Sacello Vaticano decretorij illius diei faciem, Bonarotæ penicillo adumbratam, novus ſpectator contemplaretur, non ſine ſtomacho audiret id loci ac temporis peritiſſimorum Phonaſcorum Symphoniam, quæ tametſi auribus ſuaviter blandiretur, animum tamen à contemplatione ejus imaginis multò jucundiore avocaret.

6. Huic diſputationi coronidem impoſiturus animadverto, multas Argutias primo aſpectu diverſæ penitus ſpeciei ab his omnibus viſum iri: verùm, qui eas intimè perſpexerit, is nihil aliud quàm Embamma quodpiam eſſe deprehendet, in quo aliqui ex memoratis antè argutijs nativos ſuos ſapores miſcuerint;

rint: veluti vina quandoque, ut Magnatum palato arrideant, in varia genera multiplicantur, non tam à diverſitate ſoli & uvarum, ex quibus expreſſa fuêre, quàm à multiplici arte pocillatorum, quâ permiſta atque confuſa ſunt. Cujus rei exemplum Arioſti clauſula exhibeat.

- - Sannazarius ingens
Quo duce liquiſtis montana cacumina, Muſæ,
Et virides ripas, humilésque habitâſtis arenas.

In quibus verſiculis, ſervatâ notiſſimâ fabulâ de conſueta ſede Muſarum, *amplificatio* cum *Antitheſi* conjungitur: tanquam ſi Sannazario tantum eſſet in pangendis carminibus Veneris atque lepôris, ut Poëſeos Præſides Divæ, relicto veteri ſuo domicilio, Græciæ montibus impoſito, in humiles arenas Neapolitani littoris commigrârint, Eclogas piſcatorias cum ipſo in Mergellinæ receſſu decantaturæ.

Atque his diſputationem concludimus, non de *Oppoſitis* solùm, verùm etiam de *Argutijs* universè, déque omnibus

bus ijs ornamentis, quæ pertinent ad Eloquentiam, qua parte ab Elegantia ſeparatur: ſimul autem & limites fiximus, intra quos ejusmodi ornatus Præceptori conſectandus ſit.

Caput XX.

Ut perſpicuum fiat, utrùm ſermonis elegantia ſcriptioni Didaſcalicæ debeatur, Elegantiæ primùm natura exploratur, ejùsque tres gradus diſtinguuntur.

1. Diu multúmque immorati ſumus trium illarum partium primæ, in quas inſtitutam à nobis diſputationem ſub finem capitis tertij partiti ſumus. Verùm non pauca eorum, quæ ſuper illa parte notavimus, cæterarum quoque explanationem promovent.

Equidem vidi neminem, qui enucleatè atque admodum ſcienter cauſas aperiret, cur, licèt voces non alio fine, quàm ut ijs interpretibus animi ſenſa ape-

aperiremus, inventæ fuerint, eúmque ſcopum non magis emendatæ, quàm corruptæ Grammatices ductu attingere liceat, nec eleganti magìs & exculta, quàm licenti & inculta dictione, cur, inquam, altera laude, altera vituperatione digna habeatur: cúmque illam legimus, veluti navigio placidè deportari nobis videamur, ab hac verò per lutulenta itinera raptari, quæ poſt confectum paucorum paſſuum ſpatium in faſtidio & laſſitudine deſtituat?

2. Nullo quidem negotio dignoſcitur, quî fiat, ut illuſtris & grandis dictio multò jucundior gratiórque eſſe ſoleat; gregaria & pedeſtri: nempe quia in animo noſtro miriores pulcherioréſque imagines excitat. Verùm elegantia diverſum eſt à ſplendore ac Majeſtate ornamentum. Quapropter pervagatum apud veteres verbum fuit, Latinorum atque Græcorum eſſe proprium, dicere eleganter: magnificè verò ac granditer etiam Barbaros ſolere. Sic & Itali hodie decus elegantiæ, vel ſolius Ethruriæ, vel cum Calmetta etiam Aulæ Romanæ idio-

idiomati tribuunt; pompæ verò ac Majeſtatis laudes omnibus Italiæ dialectis in commune permittunt. Nam & in Siculo, & in Veneto idiomate Poëmata leguntur, peregrinis, luculentiſque figuris, atque omni grandium ſenſorum genere colluſtrata. Quin imò memini me audire Dialecto Bergomate conſcriptum Caroli V. Epicædion, quod ob Majeſtatem ſuam celeberrimo illi Annibali Cari componebatur. Et Genuenſis quoque lingua famæ alicujus Poëtas ætate noſtra ſibi comparavit.

5. Ut hæc quæſtio rectè enodetur, diſquirendum in primis eſt, in quonam ille nitor conſiſtat, quem ſtyli elegantiam dicimus: ut ritè cognito, quales demum ſint illæ partes, quibus ejuſmodi, ut ita dicam, intinctus componitur, deinceps etiam intelligamus, unde vim habeat tam ſcito ſapore omnia Ciborum genera imbuendi.

Elegantia, quæ ab *eligendo*, monente Tullio, (a) nomen accepit, ſiquidem me opinio non fallit, à ſplendore atque orna-

(a) *In Oratore.*

ornatu, de quibus ſuprà nobis ſermo fuit, ad eum planè modum differt, in dictione ſcriptionéve, quo in hominis & ædium cultu nitor à ſplendore ac luxu ſecernitur. Omnis quidem mundities aliquid habet cum ornatu commune; ſemper enim ea excolit, & abjectiſſimæ plebeculæ conſuetudini eximit. Verùm primus munditiei gradus occupatur in eo, ut removeat, quidquid circumſtantium ſenſibus grave foret, non verò, ut conquirat, quæ recreandis ijsdem idonea eſſe poſſint. Atque ab hoc ornatûs genere nullius mendicabuli humilitas, nullius Anachoretæ auſteritas prohibetur.

4. Alter gradus non ſolùm id agit, ut ne quid diſpliceat, verùm ut placeat etiam. Sed tamen hoc præſtat induſtria facili, ornatúque parabili, nec excedente mediocris fortunæ modum. Atque hoc ſecundo gradu ijs ſolis interdictum eſt, qui vel ſum̃am auſteritatem profeſſi ſunt, vel quovis Codro egentiorem vitã tolerant: horũ namq; vitæ crimini datur, plus deliciarum admiſiſſe, quàm ad vitam

tam

tam tolerandam planè ſit opus. Reliquis omnibus, pro ſua cuique fortuna, conveniens erit ejus elegantiæ uſus, dummodo ea fortuna mediocrem ſortem non excedat. Sin, ex recepto jam uſu, ſplendor inſuper ipſi debetur, hoc eſt illud genus ornamentorum, quod & rarum eſt admodum, & vulgarem hominum conſuetudinem haud paulùm ſuperat.

5. Per hunc ſecundum elegantiæ gradum ornatus quidem cultus, non tamen gemmis ſuperbè luxurians conceditur. Fas eſt cæſariem pectere, non item calamiſtro criſpare: ſmegmate abluere faciem, non autem pingere pretioſo Hiſpaniæ purpuriſſo. Evenire nihilominus ſolet, ut apud aliquarum gentium Optimates luxus major ſit, quàm munditics, adeò ut magni pretij gemmas capillis inſerant nullo pectine caſtigatis: veſtem habeant multo quidem auro intertextam, ſed tamen inquinatam aſperſione ciborum, & menſas ſub argenteo inſtrumento, & peregrinæ chortis cupedijs laborantes, ſed inſtra-

inſtratas mappâ illepidè vino purpuratâ: conclavia pretioſiſſimis periſtromatis conveſtiant, ſordeſcentibus interim pulvere ſitúque pavimento ac ſtragulis: adeóque prima elegantiæ parte deſtituuntur. Denique apud eos omnis domeſtica ſupellex inconcinnè ac invenuſtè nullo diſponitur ordine: quapropter etiam ſecundo gradu deficiunt.

6. Perinde ſe res habet in ſtylo. Eam quippe curam, quæ in Grammaticorum peccatorum ſordibus perpurgandis occupatur, non tam virtutem dicas, quæ placeat, quàm immunitatem à vitio, quod offenderet. Eſtque hic primus elegantiæ gradus, quem in omni prorſus, etiam planiſſimo ſermone, requirimus. (a) Quapropter Tullius aſſeveravit, quòd non tam præclarum ſit, ſcire latinè, quàm turpe, neſcire: neque id boni Oratoris potiùs, quàm civis Romani proprium eſſe.

7. Secundùm hæc, talis oratio, quæ à triviali ſermone, ſed intervallo non magno abeſt, & quæ phraſi utitur, ac ſche-

(a) *In Bruto.*

ſchematibus, non illis quidem plebeis, at neq; tam ſublimibus, ut non etiam in mediocribus argumentis, ſeu mediocriũ ingeniorũ elucubrationibus locum habeant, ea ſcilicet in ſecundo elegantiæ gradu conſiſtit. (a) Qui gradus à Cicerone deſcribitur, expetitúrque ad formandum eum ſtylum, quem ille ait *Atticum duntaxat* vocari: quod tantundem eſt, ac apud nos ſtylus limatus & terſus, quem quidem imitatu facilem communis opinio promittit, ſed perarduum ac difficilem oſtendit experientia, eodem ipſo teſte, qui expertus id noverat.

8. Ornamentum, quod hoſce gradus exſuperat, non jam elegantiæ nomen habet, ſed ſplendoris ac pompæ. Contingit nihilominus apud quaſdam gentes, ejuſmodi ſermonem in uſu eſſe, in quo nullæ leges abſolutæ perfectæque Grammaticæ ſtabilitæ ſint: nec Oratores ipſi ullum in hoc ſtudium ponunt, ut ritè ſermonem conſtituant. Quodſi ergo inter hos ingenium alicui naturâ facundum & ſublime obtigerit, is dictio-

(a) *In Orat.*

ctionem grandibus ac peregrinis tranſlationibus, ſonantibúſque periodis, & alijs planè inſignibus ac floridis dicendi modis illuſtrabit: ſed ut plurimùm vocibus ac phraſi utetur nihil à conſuetudine vulgi abhorrentibus. Ideóque illa luce carebit, quam elegantiam appellamus.

Poſtquam igitur hujus naturam univerſè declaravimus, ſingillatim deinceps perquiremus, quibusnam ea partibus coagmentetur.

Caput

Caput XXI.

Primum Elegantiæ ornamentum, Grammaticarum legum reverentia. Quonam jure illarum auctoritas nitatur? Vtrùm permiſſa novatio vocum; & unde demum oriatur earum nobilitas & humilitas?

1. ELegantiæ candor ſimillimus eſt illi, quo via lactea nitet, nempe quem multa, eáque perexigua lumina componunt, quorum ſingula rudes oculos non admodum advertunt.

Complectitur ea primum, veluti dictum eſt, præceptorum Grammaticorum cuſtodiam, tum, quæ ad ipſa verba, tum quæ ad eorum conſtructionem pertinent. Verùm ſuper hoc controverſia continuò enaſcitur, quam paulò ante movebamus. Quippe leges ejusmodi non alia ſæpe ratio commendat, quàm eorum, qui primùm ſic locuti ſunt, arbitrium, & poſterorum conſuetudo,

Ar-

Argumento ſit, quòd in varijs linguis, quæ omnes ritè conditæ, atque inſtitutæ fuêre, ut Gallica, Hiſpana, Italica, Germanica, tum natura verborum, tum conſtructionis præcepta diverſiſſima reperiantur. Quodſi ergo, neglectis ejusmodi ſtatutis, mentis noſtræ ſenſa nihilominus percipiunt Auditores, ecquod demum piaculum fuerit illa penſi non habuiſſe? utique: cùm ijs legibus non alia de cauſa jus fuerit in nos conceſſum, quàm ut certa quæpiam ratio ſermonis ſtabiliretur, quâ cives, dum unà verſantur, ſeſe mutuò percipiant. Hoc aſſequunti, quidquid de hac elegantiâ diſſeritur, quæ ad authorum arbitrium confiĉta; non in dignitate nativa ſermonis, vel magis ſonori, ſed brevioris, efficaciorísve conſiſtit, vaniſſimæ perſuaſioni, ac ſupervacaneæ religioni dediſſe videbimur.

2. Veruntamen perpendendum animo eſt, quemadmodum in adminiſtratione Reip. illarum etiam legum, quæ principio ſine damno poterant omitti, pernicioſa immutatio eſt; ſic in uſu quo-

que loquendi contingere. Multitudo linguarum humani generis pœna fuit, & ea quidem perquam gravis, ſiquidem, ut D. Auguſtinus notavit, (a) *hominem alienat ab homine: nam ſi duo ſibimet fiant obviàm, neque præterire, ſed ſimul eſſe aliqua neceſſitate cogantur, quorum neuter nôrit linguam alterius, faciliùs ſibi animalia muta, etiamſi diverſi generis, quàm illi, cùm ſint homines ambo, ſociantur: quando enim, quæ ſentiunt, inter ſe communicare non poſſunt, propter ſolam linguarum diverſitatem, nihil præſtat ad conſociandos homines tanta ſimilitudo naturæ; ita ut libentiùs homo ſit cum cane ſuo, quàm cum homine alieno.* Certè non aliud damnoſius impedimentum commercia noſtra cum vivis juxtà, & cum mortuis dirimit, quàm tanta linguarum diſcordia. Nam ad vivos quod attinet, proſcribit ea veluti ſacrum ac diris devotum hominem à communione maximæ hominum partis. Quod verò pertinet ad mortuos, eandem cognitionem ſcriptorum, quæ nobis à veteribus relicta fuêre, arduam ac

(a) *S. 10. de Civit. c. 7.*

perdifficilem, nósque adeò cæcos reddit ad eorum intuenda facinora, & ſurdos ad exaudiendas eorum voces.

Ac quoniam idiomata, non uno temporis puncto immutantur, ſed ſenſim ſine ſenſu, veſtium, lapidúmque inſtar, atteruntur, è commodo certè Reip. eſt, cives ab omni etiam minima mutatione ſermonis abſtinere. Hoc enim multiplici augmento paulatim invaleſcens, denique veterem ſermonem prorſus corrumpit. Huic tamen legi nonnunquam impunè derogatur.

Propter egeſtatem linguæ, ac rerum novitatem,

Quod in re paulò diverſa ſcripſit Lucretius. Nihil enim prohibet, rebus novis, ut animantibus, plantis, munijs, armis artificum, aliíſque hujusmodi à prudenti hominum judicio recentia vocabula decerni, quibus earum rerum natura exprimatur, deducendo ea ex veteribus ejusdem, vel alterius linguæ vocabulis, quæ quidem apud eam gentem celebris ſit: quippe tali novatione non impediuntur commercia, ſed magìs promoventur.

3. Poſt-

Poſtquam verò novum aliquod vocabulum uſu, tametſi fortè non neceſſario, invaluit, pernicioſa potiùs, quàm utilis hominum commercijs foret ejus eliminatio, atque proſcriptio. Quapropter hîc aliarum legum exempla ſequenda ſunt, quas conſuetudo ritè abrogat, quanquam aliquando injuriâ, & contra ipſarum legum juſſa principium ſumpſerit. Reip. enim id, quod eſt, utilius eſſe ſolet, ſiquidem uſu fuerit ſtabilitum: pernicioſiſſima verò mutatio.

4. Hinc emergit, nullius eſſe roboris eam argumentationem, qua ſolent aliqui novationi vocabulorum patrocinari, celebrem illam Horatij ſententiam opponentes:

- - Ego cur, acquirere pauca
Si poſſum, invideor, cum lingua Catonis & Ennî
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit?

Nihil, inquam, hoc exemplum antiquiorum Latinorum ad generalem conſecutionem colligendam valet, quam

fortè Horatius juſtis limitibus definitam eſſe voluit: alij verò poſterioribus temporibus immodicè laxârunt. Vel enim Catonis & Ennii ætate indiga aptarum vocum lingua fuit (uti fuit revera) & tum manifeſto diſcrimine ipſorum & Horatij ætas diſcernitur: vel damus, jam ea tempeſtate inſtructiſſimam fuiſſe: & tum non procul ſanè ab errore illos fuiſſe dicam, qui nomenclationem novam rebus non novis accommodabant: Catonem maximè, qui oratione ſoluta ſcripſit. At verò poſt ejusmodi innovationem, etſi principio vetitam, ſed populorum conſenſu deinceps receptam, poſteritas jure uſurpavit prædicta vocabula. Neque tamen poſteris permiſſa impunitas eſt, veterum errorem, aliarum vocum formatione imitandi. Nec minùs illi peccavêre, qui linguam Latinam in has vernaculas, cum injuria orbis terrarum, ſparſerunt: paritérque peccaret, qui eos imitatus, Italicam, Hiſpanam, aut Gallicam linguam corrumperet, invectis alijs in eas regiones, in quibus illæ hac tempeſtate

quietè

quietè regnant. Non tamen is quoque peccat, qui utitur ejusmodi linguâ jam dudum, quamvis per injuriam, introductâ: id quod ſubtiliter à Caſtelvetrio in Appendicibus, quas primo libro Bembi attexuit, animadverſum eſt.

5. Neque majorem memorato exemplo vim habet vel allata ab eodem Poëta comparatio foliorum, quibus ſilvæ in ſingulos annos renovantur, aut ratio, quam ſubjungit, quòd univerſa mortalium opera (nedum verba) ſint & ipſa mortalia. (a) Nam caducis quidem folijs alia ejusdem generis ac formæ ſuccedunt, diſpari verborum fortuna. Et quamvis omnia hominum opera inevitabili fato in mortem pendeant, non propterea nullum Reipublicæ damnum infert, quisquis ad maturandum talem interitum operam ſuam, ſtudiúmve commodat: neque idcirco lectorum calculis, & Politicæ omnium actuoſarum artium Antiſtitis ſententiâ damnandus non eſt. Sic quamvis omne humanum genus moriendi neceſſitas

(a) *De Arte.*

premat, nihilo tamen minùs ſeverè in illum animadvertitur, qui alicujus hominis mortem accelerat. Item, quamvis neceſſe ſit, omnia regna mutari, tamen veluti peſtem exitialem abominamur ſeditioſum illum civem, qui de mutatione agitare conſilia cœpit. Certè ſi adverſariorum ratiocinatio firma eſſet, quoniam omnia ædificia caſus expectat, & ruina, accuſandus haud eſſet, quisquis alienam domum, vel regiam, vel ſacram ædem deijceret, ac ſolo æquaret.

6. Ex quo conſequitur, in celebri illa controverſia, quæ Caſtelvetrium & Carum ſuper hoc argumento commiſit, rationem quidem ab hujus partibus ſtetiſſe, tum quòd eæ voces, ſuper quibus mota lis fuerat, jam eſſent uſu receptæ, (quamvis id adverſarius neget, pernegétque) tum ob alias fortè cauſas: non tamen ideo, quòd citata Horatij ratiocinatio, uti contendebat Carus, ſcriptori poteſtatem faceret nova nomina procreandi.

7. Quapropter ſcriptoribus latinis etiam hac tempeſtate cavendum eſt, ut

ne nova vocabula invehant, tametſi ea ex vernaculo ſermone deprompta, adeóque domi ſuæ probè nota ſint. Qui enim hodie latinâ linguâ ſcribunt, non ad populares tantùm ſuos ſcribunt, (ad hunc quippe finem longè commodior foret ſermo patrius) ſed ut cum omnibus populis, apud quos Romanus ſermo addiſcitur, hoc eſt, cum toto literato mundo, in colloquium veniant. Ita nimirum perbeati hujus Idiomatis beneficio, quanquam in vulgi labris jam emortui, Deus Opt. Max. magnam partem ejus pœnæ videtur condonâſſe, quam Nemrodi temeritas in univerſum hominum genus provocaverat. Igitur novæ illæ voces, quas ſcriptor latinus è patriæ linguæ promptuarijs adoptaret, longè maximæ multitudini eorum, quibus ſcribit, hoc eſt, omnibus diverſam patriam & linguam ſortitis ignotæ ut plurimùm, obſcuræque forent.

8. Hæc tamen ratio vim non habet, ad recentiores voces latino è ſermone eliminandas, quæ ab illius occaſu novis Magiſtratibus aut Ritibus ſeu profanæ

ſeu ſacræ Reip. denotandis inventæ ſunt. Qua quidem in re cachinnos poſterorum, & ſeveram non magìs, quàm juſtam animadverſionem M. Antonij Mureti (a) promeriti ſunt ſcriptores quidam ſuperioris ſæculi, cæterà laudandi, qui phraſes ac verba, quibus olim profanorum ſacrorum indigitamenta deſcribebantur, novis inſtitutis Chriſtiani cœtûs aptârunt, adeò ut dicerent: *Litare Dijs manibus*, pro *ſacrificare pro mortuis*, & ſanctimonialibus *Veſtalium Virginum* nomen darent: Breviter, cùm ſacros ejuſmodi ritus in libris ſuis ſimili planè ſpecie proponerent, qualem Monachus præberet capite Turcicum in morem lemniſcato.

9. Atque hoc peccatum planè fuit ignoratæ Philoſophiæ. Vetitum enim eſt, latino ſermoni alterius vernaculæ linguæ nomina miſcere, quando vel veteri, receptæque linguæ ſuppetunt colores, ijſdem rebus verè ac propriè exprimendis, ut adeò nil opus ſit exteris eas pigmentis obducere: vel quando, deficientibus etiam proprijs vocibus,

(a) *In lib. Vet. lect.*

præ-

præſtat nihilominus ad variarum gentium captum, in quarum Lycæis illa poſthumam modò vitam ſervat, eam rem priſcis potiùs, & in Latio natis vocibus, jámque ab Orbe univerſo civitate donatis circumſcribere, quàm breviori quidem, ſed unam extra patriam ignota voce indicare. Verùm in ſacris Ritibus atque Magiſtratibus, & alijs ejusmodi rebus, contrà res accidit. Hæc namque non aliud apud ullam gentem manifeſtius nomen habent, quàm novitium iſtud, quo apud nos inſignita ſunt. Id quod etiam in nominibus proprijs hominum, familiarum, urbium uſuvenit. Quocirca mirationem facere poteſt, cuſtodes illos religioſiſſimos illibatæ latinitatis, non etiam in ſuis ſcriptis, ad exemplum Melanchtonis Germanicum nomen dedignati, per Etymologiam quanpiam vetera recentibus ſuis nominibus ſubrogâſſe.

10. Quin imò hic modus manifeſtationi rei ab Authore intellectæ (qui tamen locutionis intimus finis eſt) adeò incommodat, & adverſatur, ut in hiſce

priſcis vocibus à Bembo, ac Jovio, aliiſque, quos ejuſmodi cacoëthes res noſtras ſacras exprimendi invaſerat, uſurpatis, ea ſit jucunda ratio, quæ in primorum ſæculorum maxima ruditate pictis tabulis adhiberi conſuevit, nimirum ut rei ſic adumbratæ nomen ſubſcribi oporteat, quemadmodum Ælianus refert. Hîc enim neceſſarium quoque eſt, veterum illarum vocum mentem ad paginæ marginem novis vocabulis interpretari.

11. Igitur deteximus fontem, è quo laus illa promanat, quam vocum probatarum in quolibet Idiomate uſurpatio parit. Hoc ipſum earundem vocum conſtructioni pariter aptatur, cujus immutationem è veſtigio conſequitur haud modica in ſermone mutatio contextûs ac perſpicuitatis. Jam verò huic fundamento innititur ea voluptas, quam, notato ſubinde hoc artificio, percipiunt periti, quámve nos alibi innuimus, cùm de numero verba faceremus. Quippe ſtylus elegans artem, & dicendi [illegible]is lectoribus oſtendit,

éſtque

éſtque adeò admirationi: contrà barbarus injuriam aut ruditatem prodit, habetúrque contemptui.

12. Denique ex duplici hoc laudum capite, quæ ſermonem emendatum commendant, tertium conſurgit, ex quo (niſi me fallit opinio) copioſior erumpit ſcaturigo voluptatis. Atque hoc eſt, quòd ob duas priores rationes evenerit, ut emendato ſermone ſapientiſſimi quique ac ingenioſiſſimi loquerentur: contrà verò ſermone barbaro hominũ noviſſimi, ſtolidiſſimíq;. Quæ cum ita ſint, eadem ſcilicet nominum, quæ hominum fortuna eſt, qui vel claritatem nominis vel probrum capiunt ex eorum conditione, quibus familiariter utuntur. Hic enimverò eſt ille omnium maximè inſignis color, qui diverſam verbis ſpeciem coram mentis noſtræ oculis circumdat. Certum namque eſt, à nonnullis eorum res viles ac ſordidas notari, neque tamen ipſa idcirco nobilitatis gradu deijci: ut verbum *vomo* (cujus genuina vox in ſermone vernaculo obſcœna foret) in

ſcultare,legeréque conſuevimus. Atque hujus cohortis vocabula ſummum nobilitatis apicem tenent, neque poſſunt familiaribus collocutionibus permiſceri ſine affectationis nota; qualem ſcilicet incurrit vir quidam equeſtris ordinis, mihíque apprimè notus, qui toties omni, quod habebat, argenteo inſtrumento abacum ſolebat exornare, quoties nobilem quencunque hoſpitem domo exciperet. Talia forent, *Fauces* pro ore, *Tellus* pro terra; *Lumina* pro oculis, *Auguſtus* pro Imperatore, *Nos* pro Ego, atque hujus generis alia.

14. Altera claſſis earum vocum eſt, quæ cum nobilitate, atque cum populo neceſſitudinem ex æquo contraxêre. Atque iſtæ quidem omni tempore, locóve uſurpari poterunt, veluti ſimplex è nigro panno veſtis, nec Regibus dedecori eſt, nec civibus vitio vertitur. Harum vocum exempla, quia innumera ſunt, & nulli non cognita, prudens diſſimulo.

15. In tertiam denique cohortem illa vocabula deſcripta ſunt, quæ familiari-

tate ſua, quam cum ſolo hominum, & ſententiarum vulgo iniêre, tantopere viluerunt, ut cogitationes calamóſque paulò magìs heriles contaminent. Et quoniam vocabula plus minúsve conſuetudinis, vel cum ſummis, vel cum infimis, vel cum utriſque contraxêre, pretium quoque eorum ac æſtimatio (quæ ſcilicet hinc ijs conciliatur) diverſis gradibus in unaquaque claſſe creſcit, atque minuitur.

16. Jam inter præcipuas voluptates, quaſcunque gignit elegantia, hæc nimirum eſt, quòd, cùm ea verbis ac phraſibus conſtet, quas nulla cum populo conſuetudo inquinavit, quoddam veluti jubar nitoris oſtentet, occupans continuò mentem noſtram, eámque ad illud genus virorum. argumentorúmve traducens, in quorum, comitatu ea decora elegantiæ hactenus ſemper invenimus: quemadmodum & purpuræ aſpectus nobiliorem animo ſpeciem infert, quàm veſtis profana, etſi fortè pretio majore comparata, quia cogitationes noſtras ad eminentiam ſacrorum

Prin-

Principum trahit, quorum is cultus eſt proprius. E contrario inurbani habentur, qui in conclavibus ſuis exponunt illud genus vaſorum, quæ tametſi ſerico, & aliquando etiam auro exornata ſint, palàm tamen eſt, excipiendis reliquijs confecti conſummatíque cibi deſtinari, ac propterea animum intuentis quamprimum commaculant.

Ex hactenus diſputatis diſci potuit, quonam jure Grammaticarum legum obſervantia, & interdictum novandi vocabula ſtabiliatur: quæve hac in re exceptio locum habeat: unde vocum nobilitas, humilitásque: & quot nominibus emendatus ac nobilis ſermo præplaceat.

Jam ad alia elementa Elegantiæ gradum faciamus.

Ca-

Caput XXII.

Secundum elementum Elegantiæ, minutarum tranſlationum frequentatio: & cur ea placeat?

1. ALio præterea ornatu lepor ille concinnatus eſt, quo nobis ſermo elegans blanditur. Eſt is exiguorum ſchematum, ac maximè translatiuncularum multitudo, quarum nobis copiam res ſubjectæ ſenſibus ſuppeditant. Ita fit, ut vividior, diſtinctiórque rei ſignificatæ cognitio in animis noſtris excitetur, quàm ſi ea nomine proprio fuiſſet propoſita. Vel enim proprium nomen nulla ſenſili imagine eam repræſentaret, vel certè non detegeret ſimilitudinem, quæ illi rei cum re quapiam alia intercedit: quo tamen utroque commodo mentem noſtram laudatæ Metaphoræ afficiunt. Ex alia parte hæ ipſæ metaphoræ, ob frequentem earum uſum apud Optimos quosque Oratores, ita jam familiares nobis effectæ

effectæ ſunt, ut careant eo incommodo, quod cæteras Metaphoras premit. Nam neque ingenium operosè differunt: neque celerem intellectum rei ſignificatæ morantur: atque adeò lucem afferunt, quæ Metaphoris omnibus in univerſum communis eſt, & nihil retinent obſcuritatis, quæ cæteris ſolet eſſe conjuncta. Sic expreſſior erit phraſis, ſi quis uſitatâ jam, faciliq́ue Metaphora dicatur alterum *ſermone pupugiſſe*, quàm ſi ſimpliciter *creâſſe moleſtiam* diceretur. Prior namque dictio, cùm ſecundæ nihil cedat claritate, ſimilitudinem inſuper exhibet: quâ punctio tactûs, tenerrimi ſcilicet ſensûs, & moleſtia illa componitur, quam experimur animo, cùm famam noſtram aliorum ore traduci percipimus.

2. Certè qui attentè diſcuſſerit elegantes illos dicendi modos, quos in Plauto, Terentio, Catullo, aliiſque terſiſſimis ſcriptoribus miramur, deprehendet profectò eos modicarum, de quibus agimus, translationum minio pictos eſſe, ac deinceps ab uſu limatiſſimo-

morum Oratorum adoptatos, ſine quo profectò multæ illarum crudiuſculæ, omnes autem nonnihil cæcatæ forent. Nam voces illæ: *ſitire agros*, *gemmare vites*, ſiquidem naturam verborum ſpectes, non ſanè vitarent audacium Metaphorarum notam. At conſuetudine rudis etiam plebeculæ cicuratæ fuerunt; veluti notatum à Tullio fuit. Pariter, quod paſſim uſurpamus, *flumen lachrymarum*, duriſſima equidem Hyperbole videretur, niſi eam quoque uſus molliviſſet. Atque ut diſputationem contraham, Metaphoras, & modeſtas, & faciles illas reputabimus, quas, licèt alterius, ut ita dicam, familiæ ſint, affinitas tamen cum propria junxerit, vel quas uſus pænè proprias fecerit: vel denique quibus Author inopiam appellationis propriæ ſublevavit, adeóque ijs uſus eſt, magìs ſtudio exprimendi, quod neceſſarium fuerat, quàm ludendi.

3. Qua porrò ratione ac modo ſtylum ſuaviùs condiant, exemplis, ut quodque ſe primum dederit, indicabo: atque ita

Lecto-

Lectori anſam præbebo, alia innumera ſubnotandi, quæ paſſim Authorum ſcriptis inſperſa ſunt. Itaque ſapidior erit dictio Plautiniana: *Quò evadas, neſcio*, quàm, *neſcio, quem in finem iſta dicas.* Item Catulli.

Rúmoréſque ſenum ſeveriorum
Omnes unius æſtimemus aſſis,

Quàm ſi dixero: *nihil æſtimemus.* Et Terentij ſententia, *veritas odium parit*, utique placebit præ hac alia: *veritas eſt cauſa odij.* Item, quod ait Cicero: *Amputata, circumciſáque inanitate omni & errore*, quàm, *abſque omni inanitate & errore.* Illúdque Horatij.

Solvitur acris hyems,

Quàm, *deſinit.* Denique magis arrideat, ſi cum Italico quodam ſcriptore, *ſubtiliſſimas expenſas* quàm *permodicas* dixeris. Omnia verò iſta per Metaphoram dicuntur. Quin imò plerasque voces, quibus res, extra ſenſuum experimenta poſitæ, ſignantur, ſi penitiùs inſpicias, deprehendes omnino, vel ſuapte naturâ, vel certè origine Metaphoras eſſe, ac illas quidem à rebus ſenſilibus de-

deductas, maximéque à motu *locali*, qui ſcilicet in commune pluribus ſenſibus, imò & ſenſui communi objicitur. Hujus generis ſunt, *Perire*, *interire*, *occidere*, *petere*, *appetere*, *intelligere*, *cogere*, *cogitare*, *contendere*, *flectere*, *averſari*, *aggredi*, *exultare*, *componere*, *producere*, *corripere*, *promittere*, *reprehendere*, aliáque ſexcenta, quæ ſuo quisque marte notare poterit, conſideratâ ſimplicium verborum copiâ, quæ motum ſignificant. Qualia ſunt: *Eo*, *ago*, *tendo*, *peto*, *do*, *ſtatuo*, *fluo*, *verto*, *fundo*, *cedo*, *cædo*, *prehendo*, *vado*, *mitto*, *pono*, *lego*, *gradior*, *duco*, *fero*, *ſpargo*, *rapio*, *ſalio*, cum alijs innumeris, eorúmque frequentativis: animadverſis prætereа varijs compoſitis cum præpoſitionibus omnibus; denique notata ſignificandi poteſtate, qua nunc ſingula ex his compoſitis gaudent. Atque hoc ipſum in omnibus planè linguis uſuvenit.

4. Dixi, hanc elegantiæ partem in exiguis ejusmodi translatiunculis maximè quidem, verùm etiam in alijs ſchematibus poſitam eſſe. Dictio enim figurata

ta ſemper à plano tritóque ſermone pauxillum recedit, atque ita ſententiam reddit magìs inſignem, magíſque conſpicuam. At enim accidit, non rarò figuratas ejusmodi dictiones, ac ſchemata populo communia fieri. Ac tum lepôre illo novitatis, varietatíſque deſtituta, nihil porrò habent plano ac ſimplici ſermone amplius.

Caput XXIII.

Elementum tertium Elegantiæ, Brevitas. Quo loco de Ellipſi ſive detractione.

1. Elementum tertium, quo Elegantia concinnatur, *Brevitas* eſt, per quam ſententia acutior juxtà, & penetrabilior redditur, id quod ſagittis præſtat mucronis tenuitas. Elegantia brevitatem complectitur duobus modis. Primò, cùm multa eorum vocabulorum transmittuntur, quæ in plano ſermone Grammatica exprimit. Et hæc forma reapſe ad *Ellipſin*, vel, ut

ita

ita loquamur, detractionem pertinet. Quæ figura uſurpari magìs ſolita, quàm notari, digna omnino eſt, quam privato ſtudio, extra communem cohortem reliquarum conſideremus. Et hoc ſuper argumento egregiè diſputat doctiſſimus (quàm vellem, & religioſiſſimus à me dici poſſeſt!) Gerardus Voſſius, qui præſtanti ſua eruditione, quam alijs operibus luculenter prodidit, non æſtimavit indignum, ad minuta Grammatices elementa declaranda canitiem demittere. Demonſtrat is, primævam Grammaticen paucis, iiſque generalibus præceptionibus fuiſſe formatam; ſubinde verò exceptiones acceſſiſſe, quæ ferè aliud non ſint, quàm vocum aliquarum omiſſio, quas nimirum, veluti non neceſſarias, ſubticemus, quòd ſua quiſque ſponte illas facilè apud animum ſuum ſubſtituat. Itaque elegantiùs cum Plauto dicas: *Vetus eſt: nihili coaxatio*, quàm pleno integróque ſermone: vetus proverbium eſt: pro nihili pretio æſtimatur coaxatio.

2. Alterum ſermonis compendium,

ídque

idque perelegans è vocum proprietate oritur. Qui enim linguæ alicujus tenuem notitiam ſibi comparârunt, ſi quando propria planáque voce, qua efferenda res foret, deſtituuntur, ad plura generalia verba confugiunt, quorum ſingula rebus alijs communia, ſed univerſa, non niſi in eam conveniant, quam illi volunt exprimere. Quemadmodum nos ipſi experimur, machinas igniarias, résque alias nuper inventas latinè dicturi; tum enim cogimur, eas deſcribere vocibus, quarum ſingulæ pluribus alijs rebus communes, pro ſe quæque imaginem quandam obſcuram, ac latiſſimè diſperſam in animo effingunt.

3. Imò multa idiomata hac de cauſa manca ſunt, & imperfecta, quòd propria cujusque rei nuncupatione careant; Sanè Hebræorum ſermo hac egeſtate multò maximè premebatur, cui, cùm deeſſent appellationes propriæ multarum animantium, plantarum, fructuum, inſtrumentorúmve, generali ſæpe nomine utendum fuit, ad ſpeciem aliquam ſigni-

ſignificandam, vel unius ſpeciei vocabulum ad alterius expreſſionem transferendum. Atque hinc magnam partem caligo illa veteris legis paginis offuſa fuit, quæ illarum intellectum inobſcuravit. Ex eadem cauſa evenit, ut nomina, antehac toti cuidam generi communia, deinceps ab uſu, quem penes linguarum omnium ſupremi faſces ſunt, paulatim ad unam illius contracta ſpeciem arctarentur. Ita *Nortmanni*, quo nomine omnes Septentrioni ſubjectæ gentes notabantur, jam ij ſolummodo compellari ſolent, qui partem Galliarum incolunt obverſam Oceano: *Provinciæ* item, & *Campaniæ* nomina duabus ejusdem regni regionibus ceſsêre. In Hiſpania quoque *Medina*, & *Guadalchivir*, quibus vocabulis Arabes *Civitatem*, & *magnum fluvium* nuncupârunt, hac tempeſtate uni urbi, uníque flumini vindicata ſunt.

4. Quapropter elegantiæ pars magna conſiſtit in genuina proprietate vocabulorum, evitatis tot nominibus, verbísque, quorum intellectus ad res omnes

prope-

propemodum pertinet: hæc enim, uti monuimus, confuſis imaginibus ingenium diſtrahunt, rémque objectam in maligna & occidua luce ponunt: cúmque multo jam uſu attrita ſint, velúti maximè neceſſaria, nihil curioſitate ac attentione dignum præferunt. Atque ad hanc utilitatem illa quoque referri pars elegantiæ poteſt, quæ præpoſitionum adminiculo paritur: his enim plurimùm reſtringitur ſignificatus principum verborum, quibus inoculatæ ſunt. Sic enim elegantius, quia ſignificantius eſt, *Proſpicere*, ſi de re remota loquaris; *Suſpicere*, ſi quæ ſupernè imminent; *Reſpicere*, ſi vel aliàs viſa eſt, vel à tergo jacet, quàm ſi latiſſima voce dixeris *videre*, adjunctis fortè alijs vocibus, quæ ſimul omnes ad formandam illam determinatam ſignificationem concurrunt. Breviter, eadem eſt phraſium ac pecuniæ conditio: par namque pretium in minore mole majorem notat metalli nobilitatem.

Caput XXIV.

Quartum Elementum Elegantiæ, Varietas.

1. Quarto loco inter elementa elegantiæ numerari varietas poteſt: quæ omni cognoſcendi facultati apprimè jucunda eſſe ſolet, atque una ſi deſit, res nulla promereri titulum pulchritudinis poteſt. Ideóque Ariſtoteles hanc ſubſtantijs ſimplicibus abrogavit; & jure ſanè, ſi de corporatis rebus loquamur. Quæ verò mente valent, quamvis naturâ ſimplices, ſumma tamen pulchritudine præditæ ſunt, quia maximam habent in ipſa intelligentia varietatem: cognoſcendo namque fiunt quodammodo omnia, veluti ſi ex rebus omnibus componerentur. Certè varietas, ut in veſtitu, ſic in oratione, admirationem ciet; éſtque affluentiæ comes. Neque Iris illa, quæ

Mille trahit varios adverſo ſole colores,

alio parente progenita eſt, quàm miraculo,

culo, nec alterius Deæ familiam ſecuta, quàm quæ divitiarum & opulentiæ numen habetur. Itaque ad ſermonis varietatem magnæ poſcuntur opes, hoc eſt, copioſa peritia omnium vocum, atque formarum, quibus optimi quique ſcriptores uſi fuêre, in eum ſcilicet finem, ut expeditè, jam hanc, jam illam earum, quæ quidem ſint cujuſdam pretij, hoc eſt, eidem rei exprimendæ opportunæ, poſſis erogare.

2. Verùm illud cupio notari, quòd in verbis ordinarijs ac proprijs non tantopere varietas deſideretur, ut in ſplendidis, ac Metaphoricis, ijsdem ſcilicet de cauſis, ob quas etiam apud nobiles non tanta in communi, modeſtóque habitu varietas, quanta in phrygij operis & illuſtrioris coloris cultu exigitur. Nimirum, quia in his magìs inſignibus, magis etiam notatur unitas formæ, atque adeò magìs offendit: & quia iſtæ ad pompam opulentiæ faciunt, cui repugnat non immutatus habitus, quod argumentum eſſe paupertatis conſuevit.

Caput XXV.

Fontes Varietatis.

1. HOc loco præſtantis viri conſilium ſequi lubet, à quo extimulatus ſum, ut indicarem eas fodinas, è quibus varietatis opes ſcriptoribus eruuntur.

Tres ampliſſimi modi ſunt, quibus variè res eadem efferri poteſt. Primò, cùm non aliud variatur, quàm vocis ſonus exterior, qua res quæpiam notatur: interior autem cognitio, quæ à diverſis illis vocibus ingeneratur, una planè ac eadem omnino eſt, niſi quòd ſonus ſimul cum imagine rei denotatæ ſuam quoque propriam ſpeciem transmittat ad animum; atque ita diverſa in ipſo ſimulacra exiſtant.

Alteram formam talem ſtatuo, cùm non tantùm eandem rem varijs nominibus efferrimus, ſed efficimus planè, ut ad aliam quampiam auditor rectà ducatur, ſic ut hujus indicio in ejus, quæ fuerat

rat ſignificanda, notitiam velut obliquo itinere perveniat.

Tertia inter utramque media ratio incedit, qua quidem rem ſemper eandem proponimus, ſed ea vocum varietate, ut res ejusmodi diverſimodè concipiatur animo audientis.

2. Prima claſſis varietatis ducitur ex *ſynonymis*. Ita hæ voces: *Callis, ſemita, via, iter*, omnes eandem rei ſpeciem animo inſcribunt. Nihilominus varietatis hujúsce mira utilitas eſt ad periodi numerum concinnandum, ad diſtribuendas lepidè vocales atque conſonantes, maximéq; ad verſum vel Rhythmum ritè pangendum, &c, ut compendio rem ſtringam, ad id omne, quod ad aurium, vel potiùs ad mentis voluptatem pertinet, quatenus hæc ab auribus accipit, quod illæ acquiſierant. Cui voluptati cùm præcipuo ſtudio deſerviant Poëtæ, rectè pronuntiavit Ariſtoteles, (a) eorum uſui ſuprà quàm dici poſſit, *cognominata* ſervire. Verùm in hac re duo vitandi ſunt ſcopuli, in quos

 hac

(a) *3. Rhet. c. 2.*

hac tempeſtate complures paſſim impingunt.

3. Primò quidem, ne plura ſynonyma coacerventur, ubi unum nomen ſufficeret declarandæ ſententiæ: id quod aliqui explendæ periodi, vel etiam opulentiæ oſtentandæ gratiâ faciunt. Verùm hæc res lectoribus emunctæ naris ſtomachum movere ſolet, non ſecùs ac Quæſtores militaris ærarij offenduntur, ſi quando advertant, eoſdem milites ſub diverſa veſte ſæpius à Tribuno, tanquam à prioribus diverſos offerri, quò multiplex ſtipendium accipiant. Tum verò indulgeri hoc non immeritò poterit, cùm loquendi partes homini, perturbationibus agitato, committuntur: eſt enim hoc perturbatis proprium, nunquam ut ejusdem rei repetitione ſatuуrentur, ſed modis omnibus eam exprimant, qui in mentem venerint. Quod ego artificium in quibusdam vehementibus choris apud Euripidem annotavi. Hinc quoque mos ille profluxit, quo toties eadem verba in Muſicis modulis iterantur, in quibus & remotus

ab uſitata pronunciatione tonus, & peculiari cuidam affectui exprimendo idoneus diligitur. Idem videmus invaluiſſe in verſuum intercalarium repetitione, qui ſemper concitati vehementiùs animi argumentum eſſe ſolent.

4. Alter error eſt in uſu ſynonymorum, cùm verba, quibus eadem poteſtas eſt, ſub adjunctis diverſæ ſignificationis multiplicantur, tanquam ſi ea Epitheta rebus diverſis tributa fuiſſent. Rem exemplo declaro. Si quis diceret: *aſperam ſemitam, & præruptum callem*, is ſuſpicionem præberet, ſe pro diverſis accipere *callem* & *ſemitam*, nempe quòd inter hæc partiretur diverſæ poteſtatis adjuncta, quaſi, quod aſperum, in ſemitam, & quod præruptum, in callem conveniret. Idque notatum à Nicolao Villanio fuit (cujus ego viri eruditione & amicitia multùm olim delectabar) in libro, quem ſub nomine Vincentij Foreſij edidit, cùm locum quendam in Taſſo excuteret.

5. Binis hiſce, quæ indicavimus, peccatis, in uſurpatione ſynonymorum

committi ſolitis, ſcatent maximopere ſcriptores ij, qui leviter Philoſophiâ tincti ſunt. Proprium namque Philoſophi eſt, rem unam ab altera probè ſecernere, neque verba fortuitò effundere, ſed rationis momentis unumquodque librare.

6. Ad alterum variandi modum progrediamur, qui Auditorem veluti diverſo itinere ad ejuſdem rei cognitionem promovet, & menti varias imagines imprimit, quibus idem, velut ex obliquo, ſignificatur. Cujus rei perilluſtre paradigma primi tres verſiculi exhibent libri tertij Æneidos, ubi cùm exponenda veniret hæc ſententia: *Poſt ruinam Troiæ*, hoc primum ſic explicatum eſt:

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum Superis.

Id quod in animo meo Aſiam Deorum irâ ſusdéque verſam, & Priami Nepotes in præceps actos repræſentat: tametſi conſilium Auctoris eo loco non fuerit, hanc maximè cogitationem inſinuare; ſed ea tantùm mente iſta dixerit,

rit, ut ex obliquo nobis occurreret, quod ſimpliciùs dici poterat his verbis: *Poſtquam Troia cecidit.* Etenim ex narratione præmiſſa ſic jam Auditor comparatus eſt animo, ut facilè intelligat excidium illud Aſiæ, Gentíſque Priamææ, cum urbis Troiæ ruina conjunctum fuiſſe. Proſequitur idipſum non una phraſi Poëta, & ita quidem, ut aliam atque aliam in lectore imaginem efformet:

- - *Ceciditque ſuperbum Ilium,*

Quibus verbis directè Troia ſolo collapſa proponitur. Tertióque repetit:

- *Et omnis humo fumat Neptunia Troia.*

Quæ verba eandem Troiam, involutam fumo, lectori repræſentant.

7. Cùm itaque Aſiæ ruina, & regiæ ſtirpis interitus, cadénſque ac fumans Troia, res quidem diverſæ ſint, ſed tamen ejusmodi, ut ſingulæ cum ejus urbis expugnatione, & vaſtitate, tanquam effecta, conjunctæ fuerint, quælibet iſtarum phraſium ad intelligendam expu-

grationem & devaſtationem Troiæ continuò Auditorem rapit.

8. Porrò innumera ſunt effecta, quæ ab uno quopiam eventu originem trahunt, vel manifeſtè cum eo conjuncta ſunt. Vnde etiam innumerabiles hac ratione conſurgent formæ, illi exprimendo idoneæ. Igitur, ſi libeat dicere: *Diem illuxiſſe*; in promptu erit hoc declarare, vel illuminatione Horizontis, vel avium cantu, vel roris lapſu, vel apertis florum calycibus, vel umbrarum fuga, vel receptu ſtellarum: denique ſexcentis illis modis, qui hanc in rem ab Authoribus uſurpati fuêre. Certè vel unus Bernardus Taſſus in centum illis carminibus Amadiſij ſui, centum omninò diverſis deſcriptionibus hanc eandem ſententiam permutavit.

9. Non tamen prorſus omnia, quæ ab aliquo eventu, derivantur, vel utcunque cum illo jugantur, perinde nata ſunt ad eum aptè depingendum. Ac principio quidem aptior erit effectus ad cauſam, quàm cauſa ad effectum ſignificandum: ſive quia cauſa nobilitate

præ-

præſtat effectui, adeóque ut illuſtrior, ſibímet vindicat potiſſimam cognitionis partem: ſive quia effectus magis certum atque neceſſarium argumentum eſt ſuæ cauſæ, quàm cauſa ſui effectûs. En tibi exemplum: ſi dicentem audiero:

Obſtupui, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit,

Timorem ſcilicet, horum omnium cauſam, intelligo. At verò dicente alio: *Extimui*, non pari celeritate occurrit animi ſtupor, arrectio capillorum, & oppreſſio vocis, quæ timoris effecta ſunt.

10. Sed nec effectus omnes idonei ſunt, ut originem ſuam palàm faciant. Quapropter ſi dicendum fortè ſit, *Cælum nubibus involutum fuiſſe*, non ſatis erit dixiſſe: *Pluviæ inundaverant vias:* tametſi coactarum cælo nubium hic effectus eſſe ſoleat. Qua in re duplex dari præceptio poteſt, nempe, ut denotandæ cauſæ illa deligantur effecta, quæ mentem extemplo abripiant ad ejus cauſæ contemplationem: deinde ſic exprimantur effecta, ut ex toto contextu fa-

cilè lector advertat, ea non offerri ſibi tanquam ſpectaculum, quod ſeorſim contempletur, ſed tanquam indicem, quo ad aliud quidpiam notandum dirigatur.

11. Adde: non omnes effectus, qui ſic rem comitantur, ut ad illius cognitionem manifeſtè nos pertrahant, eidem exprimendæ in omni ſcriptionis genere adhibendas. Quippe ſi orationem ſimplici & inornato ſtylo componas, cujuſmodi ſunt Epiſtolæ familiares, narrationes hiſtoricæ, & aliæ id genus, tales omnino effectus eligendi erunt, quorum cum re ſignificanda neceſſitudo admodum in aperto ſit, quæque jam uſu obtinuerint, ut ad eam indicandam adhibeantur. Quare tali ſcriptionis genere uſurus, ſi ortum diei volueri indicare, cavebo ſanè vel avium cantum, vel explicationem florum, vel profectionem iter agentium memoraſſe: ſed commodiùs dicam: *Iam ſol in conſpectum venerat: jam evanuerant tenebræ: jam montium cacumina colluſtrari cœperant.* Quæ quidem omnia diverſi

diverſi effectus ſunt: aliud enim eſt, me videre ſolem, aliud ipſum juga montium illuſtrare, aliud deniqne meos oculos non ut antè, in mundi nocte ac tenebris caligare. Verùm effectus iſti adeò mutuis nexibus impliciti ſunt, ut vulgi opinione nihil inter eos interſit, atque ideò quolibet illorum illuceſcentis diei exordium paſſim exponi conſueverit. Ita pariter (revertor enim ad exemplum ſuprà propoſitum) cùm intelligi volumus, quempiam vehementer extimuiſſe, dicemus ſcilicet: *Inhorruerunt ejus membra, arrecta eſt coma, ſanguis frigore conſtitit.* Quæ, licèt inter ſe diverſa ſint, individui tamen ſunt comites magni timoris: planè ut, quemadmodum viſi apertum faciunt timentis indicium, ſic auditi quoque manifeſtent, nos timorem ſignificare voluiſſe.

12. E contrario in ijs ſcriptionibus, quas major amœnitas, feſtivitásque hilaravit, laudabile fuerit, etiam illorum effectuum operâ uſum fuiſſe, quorum ſocietas cum re, quam conamur expo-

nere, non quidem ignota ſit, ſed neque adeò ſolita animadverti, ut ad hoc ſignificandum paſſim ſcriptoribus ſubſervierit. Ad hunc modum, ſi Autumnum deſcribere libeat, dicam fortè: *Tempus erat, quo fertiles villæ nobiliores incolas urbibus eripiunt.*

13. Sed in hoc notandum erit, ne quando effectus, quibus obliquè mentem noſtram explicamus, vel humilitate, vel ſordibus vileſcant. (a) Cujus rei ab Ariſtotele tum in Metaphoris, tum in Periphraſi, & in omni planè dictione figurata commonemur. Et cauſa in promptu eſt, quia ſtylum nunquam inquinare oportet, nec offendere ingenium ea ipſa re, quæ ad illius cultum, & hujus delectationem fuit inſtituta. Privilegium tamen aliquod ab hujus edicti ſeveritate ſcriptionibus ludicris indulgetur, ob cauſam à me aliàs notatam, nempe quia movere riſum cupiunt, quem in finem admittunt aliquam turpitudinis miſturam, utpote ciendis riſibus idoneam, & phantaſiæ minimè gra-

(a) 3. *Rhet. c.* 2.

gravem, cùm affectu perquam jucundo nos recreet. Quare ſic comparatis ſcriptionibus indecorum haud fuerit, auroram à murium receſſu notâſſe, Caporalis exemplo: vel tempus vernum memoratis illorum cœtuum itineribus, quos ea tempeſtas è varijs locis convocare ſolet, cum alio quodam lepido capitulo expreſſiſſe.

14. Et in hanc varietatum claſſem illas quoque figuras referre licet, quæ fiunt in loquendi modis non ad *aientem*, ſed ad *optantem* ſermonem pertinentibus. Sic enim Ariſtoteles in libris de interpretatione ſermonem dividit, ac poſteriorem iſtum Poëtis atque Oratoribus aſſignat, vetátque Philoſophis. Hujusmodi ſunt, interrogatio, admiratio, exclamatio, quibus directè vota quædam, ſeu affectiones animi noſtri exprimimus: obliquè verò rem quampiam exteriorem explicare laboramus, à qua cupiditates illæ, ſeu affectiones excitantur.

15. Præter eam, quam dicimus formam, res eaſdem per adjunctos effectus

variè

variè exponendi, quæque ampliſſima eſt, & ſemper habet aliquid nobile, ornatúmque, non minùs ampla eſt ea, quam Metaphora ſuppeditat, in quatuor illos diviſa ramos, quos Ariſtoteles indicavit in Poëtica. Vel enim nomen generis transfertur ad ſpeciem: ut cum homines *Mortales* & naves *Arbores* dicimus. Vel nomen ſpeciei ad genus traducimus: quo modo *Pinus* ponitur pro navi: vel unius ſpeciei ad aliam. Quem uſum frequentem Hebræis fecit nupèr memorata nominum egeſtas: alijs verò linguis ſtudium venuſtatis. Ita namque Lucretius ſolis radios appellat:

- - *Lucida tela diei.*

Vel denique rerum proportionem notamus, veluti ſi ſtellas dicam *flores cæli*, flores autem *ſtellas pratorum.*

16. Neque diſſimulabo, quatuor ab Ariſtotele recenſitis ſpeciebus Metaphoræ, geminas alias ex mente Caſtelvetrij adijci poſſe: nempe quæ vel nomen totius ad partem, vel partis ad totum traducit. Priori modo *Aſiæ ruinam* dicam,

dicam, intelligens *Troiæ*: poſteriori verò *proram* pro *navi* uſurpabo.

17. Non minus locuples vena varietatis ex tertia forma nobis aperitur: nempe cùm, rem ſemper eandem dicendo, conſequimur nihilominus, ut imago in mente Auditoris expreſſa longè diverſa ſit. Atque hæc poſtrema variandi ratio medium locum occupat inter ſynonymon (cujus omnis in exteriori ſono diverſitas eſt) & inter Orationem magis exultam ſchematibus, hoc eſt, eam, quæ non ſolùm menti aliam imaginem, verùm etiam amplius aliquid de re ipſa obijcit, ſive quòd effecta etiam advocet, quæ cum re illâ conjuncta ſunt, ſive quòd translationum ſubſidia ſolicitet.

18. Atque hæc tertia forma quatuor primarios dicendi modos uſurpat. Prior eſt: definitionem in vicem definiti adhibere. Sic loco avium dices: *Animantes, quæ per aëra feruntur*; quo nihil ampliùs cognoſcendum offert, quàm ſi ſimplici nomine *aves* diceres, ſed clarior tamen, expreſſiórque imago efformatur in animo.

Altera ratio in uſu formæ paſſivæ loco activæ conſiſtit. Actio enim & paſſio (ſi verum eſt, quod pluribus Philoſophis placuit) re ipſa unum ſunt, cognitione autem diverſa.

Tertia duplicatam negationem affirmationi ſubſtituit. Quo modo diceretur: *Impoſuit finem ſilentio*: hoc eſt: *exorſus eſt loqui.* Imò quandoque vox una negans eleganter explet vicem contrariæ affirmantis. Quapropter, *iniquus*, *ignotus*, *ignarus*, *inſolens*, *importunus*, aliáque quamplurima vocabula, licèt ſpectata ipſorum inſtitutione, atque origine tantùm habeant negare aliquas formas, à frequentiori tamen uſu jam obtinuêre, ut, more ſuppreſſi, & modeſti ſermonis, plus ſignificent, quàm ſonent. Atque hoc genere nominum Romanæ linguæ ærarium longè inſtructiſſimum eſt: & apud ſcriptores, qui maximè ſtylum condiêre, celebris ac perfrequens earum uſus.

19. Quartus modus ſubſtantivo patrij casûs adjungit adjectivum in Recto. Ita ſi dicam, *Anguſta viarum*, *occulta ſal-*

ſaltuum, *profunda terrarum*, *extrema finium*, *cuncta rerum*, venuſtius id interdum erit, quàm dixiſſe, *Anguſtas vias*, *occultos ſaltus*, vel *Anguſtas viarum*, *occultas ſaltuum partes*, aut denique *res cunctas*. Hebræi ſimili figura uſi, ſubſtantivo in recto collocato adjungebant aliud ſubſtantivum in adjectivi vicem, & hoc quidem in patrio caſu. Ita ſolenne eſt illis dicere: *viri divitiarum*, cùm dicendum foret: *viri divites*, & *Cornu ſalutis*, pro *Cornu ſalutari*. Quæ figura (ut hoc obiter dicam) ſubinde inventa, revocatáque in conſuetudinem fuit à quibusdam Ethruſcis noſtræ ætatis, ídque ſanè cum laude, niſi quod omnibus Auctoribus commune eſt, nimis affici proprijs inventis, atque ijs intemperanter indulgere. Jure autem inventam ab his fuiſſe pronuncio. Quippe figuram quandam penè abolitam, & è lingua tam remota in uſus noſtros reduxiſſe, non ferè minus eſt, quàm primitus inſtituiſſe. Sed præter hos modos alius hac tempeſtate viget, ponendi *Abſtractum* pro *Concreto*. Sic enim in

offi-

officioſum ſermonem, quo temporum noſtrorum elegantia paſſim utitur, invecta fuit conſuetudo, ut eos obſervantiæ ergo, quibúscum per literas, vel coràm agimus, nomine abſtracto cujusdam eximiæ dotis, quam in illis ſuſpicimus, compellemus: nempe *Dominationis*, *Excellentiæ*, *Eminentiæ*, *Serenitatis*, *Majeſtatis*, aliiſque in hunc modum. Neque minùs ad varietatem conducet *Abſtracti* uſurpatio, adjectis quibusdam verbis, quæ omnibus obſequuntur, unde & familiaria ſerviliáque nuncupantur, qualia ſunt *Eſſe* & *Habere*. Sic igitur bellè dicitur: *in more habuit*, pro ſolitus *fuit*. *In magno metu fuit*, pro vehementer timuit.

20. Igitur ut, quæ dicta ſunt, colligamus: varietas phraſium è ſeptem potiſſimùm fontibus hauriri poterit. E ſynonymis, effectis conjunctis, Metaphoris, (quo nomine in præſentia omnem vocum translationem amplectimur) ex definitionibus, ex forma locutionis activæ vel paſſivæ, ex geminata vel etiam ſimplici negatione, ac denique abſtra-

cto,

cto, vel ſubſtantivi cum adjectivo elegantiore conſtructione. Et quoniam quilibet iſtorum ſontium in plures rivos funditur, & rivorum quilibet variè cum alio miſceri poteſt, ideo, quisquis illorum uſum probè calluerit, is nullo negotio innumerabiles permixtiones, hoc eſt, varias ejusdem rei expreſſiones confecerit: & modò hanc, modò illam adhibebit, ut ſe quæque vel numero, vel alijs rerum adjunctis commodiſſimam præbuerit. Multa quippe, ut diximus, elementa ſunt, quæ variè permiſceri ac dilui poſſunt.

Imò verò docemur ab Arithmeticis, varias, quæ fieri poſſunt, vel decem tantùm Monadum conjunctiones, ad multas Myriades excreſcere.

Hactenus elegantiæ, ut ſic dicam, Anatomicen tentavimus. Deinceps expendemus, quænam ejus partes Didaſcalicis operibus aptentur.

Caput

Caput XXVI.

Vtrùm aliqua & quali ſtyli elegantia Diſciplinæ tradendæ?

1. EX ijs, quæ jam inde, cùm de Grammaticarum legum cuſtodia differere cœpi, diſputata ſunt, palàm fit, eas leges ne à Scholaſticis quidem impunè violari. Etenim illi viris ſcribunt ejusmodi, qui linguam probè callent ac phraſin barbaram, velut inſcitiæ prolem, à teneris usque annis conſueverunt habere contemptui, eámque ſemper à Magiſtris ſuis exagitari audierunt. Quantum verò res iſta roboris ad formandas hominum opiniones obtineat, ſi nimirum aliquod dogma (qualecunque demum illud ſit) ceu verum efferri frequenter audierint, rectè Ariſtoteles (a) notavit in priſcis illis Græcarum religionum monumentis, documentíſque: nam etſi vaniſſima eſſent, ipsíque adeò rationi contraria, fides

(a) 2. *Metaph. c. ultimo.*

des tamen ijs habebatur, eò quòd creberrimè illis hominibus, ac planè à primis incunabulis, inculcari conſueverint.

2. Nequit igitur Philoſophia primo ſui conſpectu, vel amabilem ſe, vel venerabilem exhibere, ſi veſte tegatur, intuentium judicio ſordidâ, & ex conſuetudine geſtantium prorſus plebeiâ. Cui verò reſpondere cum Picò libuerit; Philoſophiam ſimilem eſſe Silenis illis ab Alcibiade celebratis, rudem quidem, & incultum corticem præferentibus, ſed intus, & in ſinu planè gemmeis, is nimirum ſplendidus mihi erit propola fucorum. Dudum enim patet, quantoperè ſit è re generis humani, medicamenta eadem eſſe, & utilia ſanitati, & accepta palato; neque majore ſuada pollere Sirenum modulos, quàm Muſarum.

3. Neque etiam rectè dicetur ſtylus barbarus nativam humilitatem ſuam perpurgâſſe, poſtquam à Philoſophis longè clariſſimis in familiam cooptatus, ipséque domi ſuæ (ut ita dicam) tot nobiliſſimas contemplationes ho-

ſpites

ſpites acceperit. Non quidem hoc loco barbariem damnamus earum vocum, earúmque phraſium, quæ ſic propriæ ſcholis ſunt, ut extra illas, & in alio, quàm Scholaſtico argumento, nec ab eruditis, nec à rudibus unquam proferantur: de his enim privatis erit dicendi locus. Verùm ſi de barbarie loquamur illarum ſive vocum, ſive phraſium, quæ alijs etiam ſcriptoribus, atque argumentis, non minùs, quàm Scholaſticis, communes ſunt, expedita profectò eſt memoratæ reſponſionis confutatio.

Quippe notum eſt orbi univerſo; Philoſophos dictis phraſibus & vocibus non conſultò, ſed ob ignorantiam, vel incuriam aſſueviſſe. Nam eosdem videmus illis omnibus quoque ornamentis deſtitutos, quæ non judicio tantùm, usúque hominum, ſed planè ipsâ naturâ ad ſtylum exornandum valent, cùm interim ij, qui maximam in arte dicendi laudem conſecuti ſunt, ſemper contrariam loquendi rationem tenuerint. Quam ob cauſam nequiere Scholaſtici ad hanc usque diem hirto illo ac li-

centi ſuo ſermoni ullam prorſus authoritatem conciliare. Quin planè idem ipſis, quod viris quibusdam nobilibus uſuvenit. Cùm enim ob humilitatem ingenij ſeſe demittunt, atque abijciunt ad familiarem plebeiorum hominum conſuetudinem, quos cæteri è nobilitate graviores cautioréſque neglexerunt, ipſi potiùs vileſcunt, quàm ut illi ſuæ ſocietati cultum aliquem ac venerationem impetrent.

4. Credam equidem Philoſopho ritè conſultum fore illo monito, quod Oratori dedit Ariſtoteles: nimirum ut Euripidem imitatus, inter uſitatas voces deligat optimas. (a) At video tali præceptioni continuò plures obices opponendos, quorum alij contra Ariſtotelem quoque pugnant: alij privatim nos petunt, ut qui eam ab Oratore ad Philoſophum protenderimus. Prioris generis illud primum occurrit, quòd, cùm bonitas vocum tota pendeat ab uſu,

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi,

L Ægrè

(a) 3. *Rhet. c.* 2.

Ægrè quis percipiat, quo demum diſcrimine Ariſtoteles, nósque cum ipſo, ex uſitatis vocibus ſecernamus optimas. Deinde ſic quispiam ratiocinabitur: ſi Oratio è vulgaribus tantùm vocibus, quásque ſemper ore plebeio ſonantes audivimus, compoſita fuerit, animo illæ noſtro cum hac ipſa humilitate ſe offerent, quæ à ſocietate tam abjecta ipſis adhæſit: quam ob cauſam nos quoque vetuiſſe, voces barbaras à Scholaſticis ſcriptoribus recipi. Certè fila è trivio collecta, quæque abjectiſſimorum hominum uſu attrita colorem amisêre, non poterunt unquam in nobilem & conſpicuam veſtem contexi. At verò, quod argumentum præcipuè noſtram amplificationem criminatur, illud eſt: Oratori quidem id conſilij ab Ariſtotele ſuggeſtum fuiſſe, ut ſic artem occultaret, quæ, quantùm valet ad perſuadendum, ſi lateat; tantundem officit, ſi pateat: verùm nos nuper demonſtrâſſe, id in Præceptore locum non habere, qui ut privatis ſtudijs obnoxius non eſt, ita etiam procul abeſt à ſuſpicione fraudis.

Ita-

Itaque lectoribus non fore ingratum, ſi ex delectu verborum, quem adhibet, agnoſcant, illum non modò, ut erudiret, verùm etiam, ut ipſos oblectaret, ſolicitum fuiſſe.

5. Enimvero, cùm adverſantium rationes mendacio inædificantur, quò ſunt pluribus adſtrictæ nodis, tantò magìs ipſa diſſolvendi neceſſitas conducit, ad ignotam quampiam veritatem detegendam. Idipſum in re præſenti clarum fiet. Ordiamur à prima. Non omnis bonitas vocum ex arbitrio usûs ſuſpenſa eſt. Nam ſonus modulatior dos eſt non ex hominum placito, ſed à natura ipſa uni potiùs, quàm alteri voci attributa. Deinde, quamvis conſuetudo multas dotes vocabulis tribuerit, non tamen hinc ſequitur, eas voces, quæ uſu valent, pariter omnibus illis dotibus inſtructas eſſe: aliquibus enim vocibus ſpecialem quandam, ac efficaciorem poteſtatem, alijs verò infirmiorem, magiſque confuſam aſſignavit: quemadmodum Magiſtratus omnes dignitatem ſuam, & Auctoritatem Legis beneficium eſſe

agnoſcunt; non tamen idcirco in omnes Magiſtratus par dignitas, Auctoritásque à Lege collata eſt. Denique duplex uſus eſt, à quo voces præſtantiam ſuam acceperunt: alter illiteratorum, diſertorum alter. A primo perſpicuitatem habent, ab altero dignitatem. Eas igitur voces Ariſtoteles ex vulgaribus delectas probat, quæ non tantùm vulgares ſunt, ſed utraque illâ dote gaudent, utpote à ſummis pariter, infimíſque uſurpatæ.

6. Hoc ipſo ſecundæ objectioni occurritur. Nam, etiamſi talia vocabula perpetuò in trivijs perſonuerint, eadem in exedris quoque diſertiſſimorum hominum non infrequenter audita fuerunt: ideóque ad mediam ex tribus illis cohortibus pertinent, in quas nos verba deſcripſimus, ut quæ ſimilia ſint veſti, neque ſplendidæ, neque plebeiæ. Præterea vana illa ratiocinatio eſt, opus, quod ex hujus generis vocibus componitur, non poſſe ſuis partibus illuſtrius eſſe, atque ornatius: quemadmodum infirma quoque ratiocinatio foret, ſi, quia vaſculum argenteum vulgare ſatis in

ſtrumentum eſt, neque ſupra privati civis conditionem, integrum etiam abacum ejusmodi vaſis inſtructum non admodum conſpicuam, neque dignam nobili viro ſupellectilem eſſe, contenderes. Haud equidem inficior, ejusmodi voces, ſi ſingulæ, atque à cæteris ſecretæ ſpectentur, haud multum nobilitatis, & auctoritatis præſeferre, utique quia communes cum populo. Attamen volumen integrum gregarijs quidem vocibus, ſed ſonoris, ſed potentibus, ſed proprijs, ſed apud terſiſſimos etiam ſcriptores uſitatis contextum, nobile profectò ac ſplendidum videbitur. Ejusmodi namque opus longiſſimo intervallo ſupra vulgarem ſtylum & facultatem ſeſe attollit. Jam verò ultimus aries, quo Ariſtotelis præceptio quatiebatur, non ut ab illo tradita, ſed ut prolata à nobis ad Philoſophos fuit, haud magis efficax eſt. Fateor quidem, artis occultationem non æquè neceſſariam eſſe Philoſophicæ, quàm Oratoriæ dictioni. Quin imò authoritatem Philoſopho parit apud lectores perſpectum elegantiæ

artificium: mirantur enim geminam ejus, & in excogitando, & in loquendo præſtantiam, ac felicitatem: atque hæc ſubinde auctoritas fidem ipſi conciliat, quam Magiſtro (ut teſtis eſt Ariſtoteles) in multis habere diſcipulus debet. Attamen in Philoſopho quoque laudandum erit, artem ita diſſimulari, ut non primo ſtatim aſpectu ſe prodat. Nam qui opus aliquod perelegans ſic arte perfecerit, ut tamen citra artem perfectum videatur, is ſanè multò artificioſius, ideóque multò mirabilius opus effinxerit, quàm ſi artem ita præſeferret, ut primo etiam intuitu deprehendi poſſit. Quapropter hæc prior ars ſubinde recognita, & hilaritatem addit ſcriptioni, & auctoritatem ſcriptori. Præterquam quòd non in hac ſola occultatione artis verſetur illud Ariſtotelis conſilium, quo Oratorem inſtruit, ſed in majore perſpicuitate, qua pollet omnis nomenclatio popularis. Hæc verò perfectio ad ipſam ſermonis naturam pertinet: eandémque peculiari nomine à Præceptore expectamus. Qui enim lucem afferre

rebus

rebus contendit, non utique debet emortuas faces, & atra pice illitas, ſed lucidiſſimas è virgine cera eum in finem adhibere.

8. Denique hunc modum ſecutus, cibum conficiet Pani Vaticano ſimillimum, quem, quia nullus acrior ſapor imbuit, nullum palatum non probat. Ita namque dictio non nimis exquiſita, nec erit eloquentiæ Profeſſoribus deſpicatui, nec amatoribus communis ſermonis inviſa: adeóque conſequetur, ut averſum lectorem habeat nullum. Sic pariter optimi quique medicorum porrigere amant medicamenta, quibus nulla corporis temperies poſſit offendi: quíque in excipiendis hoſpitibus accurati ſunt, haud ſolent conclavia illis deſtinata ullo genere odoramentorum inhalare, quæ, ut quoſdam recreant, ita nonnullis gravia ſunt. Illas igitur elegantias Didaſcalicus ſcriptor omittat, quas multi plus ipſa barbarie oderunt.

9. Jam, qui viva, ſuperſtitéque lingua commentatur, is voces phraſéſque ſuæ potiùs ætati uſitatas deligat, quàm quæ

ſolùm anteactis ſeculis viguerunt. Idem enim in vocibus accidit, quod in nummis, veteres contemplamur, utimur novis. Id nempe Latinorum non modò præceptionibus, ſed etiam exemplo docemur. Et certè voces obſoletæ non alteri ſcriptori commodæ erunt, quàm qui lectores non in hoc mundo, ſed in Campis Elyſijs quærat. Quintiliano quidem minùs illaudabile habetur, voces novas procreare, quàm eruderare ſepultas: opinari enim licet, illas nondum auditas olim placere poſſe, cùm certum ſit, has ideo exſoleviſſe, quia diſplicuêre. Idipſum de phraſibus intellige. Non tamen ſuaſerim, conſuetudini ſeculi prorſus ut reginæ obtemperandum. Quippe libri non ut extemporanea tentoria præſentium duntaxat hoſpitio, ſed tanquam perennaturæ moles poſterorum etiam commodo componendi ſunt. Hic verò, illéve ſermo, qui aliquo fortè tempore invaluit, vario, ac brevi plerumque ſtatu definiri ſolet, ut adeò, qui ætati noſtræ placuit, haud ideo ſperare poſſit conſtantem poſterorum appro-

approbationem. Rectè igitur ſapientérque is aget, qui è vocibus, phraſibúsque ſua ætate uſurpatis illas elegerit, quas tum ſonus, tum proprietas, tum etiam virtus commendat, quáſve ſcriptores illi conſuetudine ſua dignati ſunt, quibus maximum nomen à ſtyli nitore, ac venuſtate fama ſervavit: quemadmodum nuper dicebam, cùm præceptionem Ariſtotelicam, alio quidem fine productam, explanarem.

10. Ab hac lege, qua voces phraséſque hodie florentes anteponere illis jubemur, quæ jam exaruêre, unum eventum excipiam, nimirum ſi lingua vivtam propè ab interitu abeſſe videretur a ut pronum eſſet ſuſpicari, poſteris vete, rem ejus formam præ præſenti probatum iri: id quod ſub linguæ Latinæ occaſum contigit. Quippe cùm poſteri ſint maxima potiſſimáque pars eorum, quos ſcriptor ambit, ad hos ille præcipuè mentem convertat: & ſiquidem ſenſis ſuis immortalitatem vovet, ejuſmodi ea ſermoni commendet neceſſe

eſt, quem ſperet nunquam non eſſe placiturum.

Caput XXVII.

Quinam Authores ſequendi argumentum grave cum Elegantia perſcripturis.

1. CReditum olim in Urbe Roma fuit, linguam Latinam præſtantiſſimam eſſe, quæ Scipionis & Ennij ætate vixerat, ceu ante illa tempora nimis infans, poſtea Virgo non fuerit. Quam ſententiam non alij tantùm, verùm ipſe quoque M. Tullius dixit, ſaltem in ſpeciem confictam, eo videlicet conſilio, ne turbam in ſe concitaret, quæ coævorum invidens gloriæ, mortuos tantùm laudibus & veneratione dignatur. Sed nihilominus omnis deinceps ætas orationemCiceronis præpoſuit huic Ciceronis ſententiæ: ſeu, ut meliùs dicam, antetulit veridicum Ciceronem latentem in Bruto, Ciceroni perſonato, quo cum ille diſputabat, hoc eſt,

eſt, populari errori, qui eo loci Ciceronis ſibi perſonam aptaverat. Sanè ſi Ennius hiſpida illa faunorum & Haruſpicum carmina ludibrio traduxit, ipſius quoque verſus ſubinde non diſſimili ludibrio excepti fuêre. Quamobrem ceu palati prorſus inſolentis ac depravati exemplum habetur Adrianus Cæſar, (a) qui Ennio magìs, quàm Virgilio, Catone præ Tullio, & Cœlio plùs, quàm Salluſtio delectabatur.

2. Igitur latinè ſcripturo, ut plurimùm ſequenda phraſis erit, quæ Heroicis temporibus, hoc eſt, Auguſti ætate imperium tenuit; hæc enim & exiſtimationem ampliorem apud poſteros obtinuit, &, cùm illius præcipuè ætatis ſcriptoribus plerique ſtudeant, facilior quoque intellectu evaſit: gaudétque proin nobilitate ſimùl & claritate. Quod ſi tamen propria quarundam rerum vocabula defecerint in illorum temporum ſcriptoribus, aut eidem rei, de qua crebriùs loquendum ſit, nomina ſubinde iuventa fuerint, haud equidem

(*a*) *Spartian. in vita Adrian.*

interdictum cuiquam volo, è poſteriorum ſcriptorum promptuarijs ſæpiuſcule veſtes petere, quibus animi ſui ſenſa variè, decentérque amiciat. Sed neque illi ſæculo, aut uni Ciceroni regnum illud latinitatis cum Bembo conceſſerim, quod ei nec Quintilianus, licèt Tulliani ſtyli adorator religioſiſſimus, nec ullus alius detulit eorum, qui deinceps illi linguæ adhuc ſuperſtiti ſplendorem addidêre.

3. Verùm plurimi hujus ſermonis ſtudioſi falluntur, niſi ipſe vehementer decipior, dum operoſâ diligentiâ exquirunt, utrùm hæc vel illa phraſis, aut vox, quæ noſtra ætate probantur, revera veteribus quoque uſurpatæ fuerint. Enimvero ſi quis error in Philoſophia hominum mentes occupaverit, præclarè de nobis merebitur, qui eum detexerit: id enim eſt, medelam afferre ingenijs, quoniam rerum hujuſmodi natura haudquaquam pro fide ac opinione hominum indolem ſuam mutat. Verùm de linguis rectè dici poteſt, quod universè Pythagoras de rebus omnibus

pro-

pronunciavit, id eſſe verum, quod habetur pro vero. Scilicet perinde omnino eſt hac tempeſtate, vocem quampiam latinam eſſe, ac credi. An fortè metuendum putas, ne Cicero, Gelliúsve capita è tumulis erigant, noſtrámque nobis minùs perſpectam barbariem cùm probro, convicióque objiciant? Paucis dicam: ſermo ſcriptióque ad coævos & naſcituros, non ad fato functos dirigitur. Neque hodie aliam ob cauſam latinè ſcribimus (uti notatum à me aliàs fuit) niſi quia is ſermo præ cæteris omnibus notiſſimus eſt apud eos, quibus ſcribimus. Cùm enim tot præclariſſima volumina, quibus Diſciplinæ, Religiones, Leges, Hiſtoriæ, aliáque ſcitu digniſſima traduntur, hac lingua conſcripta ſint, omnis illa literati orbis pars, qua cum nobis commercium intercedit, ad eam perdiſcendam aut neceſſitate ducitur, aut voluptate. Itaque lingua latina non jam conſideratur ut vivus quidam ſermo, & populi cujusdam ore celebratus, ſed planè ut in vulgi labris emortuus, ſolúmque ſuperſtes in

mente, ac ſtylo literatorum, qui novam ad vitam eum revocâruut. Omnis igitur pulchritudo ſcriptionis latinæ ſolâ illorum opinione ſubnititur, à quibus hodie intelligitur: neutiquam verò ab uſu, & vera exiſtimatione illorum, qui olim latinè locuti fuerunt.

4. Atque hæc eadem ratio eſt, ob quam hac tempeſtate fas eſt, in una eadémque ſcriptione conjungere voces, Terentij & Plauti temporibus agnitas, cum ijs, quas ſubinde Martialis & Plinij ætas (cùm priores illæ jàm excidiſſent) recepit. Quo quidem pacto videri poſſemus chimæram è duabus linguis auſu prælicenti conflâſſe, quas nunquam ijdem homines conſociârint. Eſt, inquam, hoc nobis æquo jure conceſſum, qui nimirum latinè ſcribimus literatis viventibus, apud quos omnes ſimul illæ voces, quaſipſi pariter omnes in ſcholis addidicêre, unam tantùm linguam conſtituunt: non verò ſcribimus veteribus illis Romanis, apud quos è dictis vocibus duplex idioma diverſis ætatibus invaluit. Id quod acutè Caſtelvetrius expendit

pendit ſub calcem Appendicis ad primum Bembi librum. Et ſanè ſcriptor ille poſt Ariſtotelem penè unus eſt, qui artem dicendi profeſſus, præceptiones à principijs ſcientiæ, ipſiúsque adeò naturæ, deducere tentaverit, ac re ipſa deduxerit: quod, ſive neglectum per incuriam, ſive per vecordiam ignoratum ab alijs Magiſtris, cauſa fuit, ut præcepta inſtar Senatûs conſulti ederent, ac credulitatem potiùs exigerent, quàm ſcientiam parerent. Atque hinc ſubinde factum eſt, ut pro doctrina errores ſæpe propinarentur, vel etiam, ſi vera docerentur, non tamen, cur ea vera eſſent, doceretur. Utinam verò vir ille primùm cupiditate, dein neceſſitate pugnandi inductus, non livore ſæpius, odio & aſtu caliginem affudiſſet candori veritatis, quam illi Philoſophia præmonſtraverat.

5. Secundùm hæc, quæ de ſermone latino diſputavimus, non ægrè ferent lectores, de Italico quoque idiomate, in quo liber iſte natus eſt, paucula diſſeri. Equidem literatorum virorum plurimi cæ-

teras

teras inter Italiæ Dialectos illam æſtimant unicè, quæ apud Ethruſcos ab anno ſupra milleſimum trecentiſmo ferè usque ad quadringenteſimum viguit. Et certè nihil à vero abeſt, eum ſermonem, tum ob nativas dotes, tum ob claritudinem authorum, qui eâ ſunt uſi, non ſuperiorum tantùm, verùm etiam ſubſequentis ſæculi longè optimum fuiſſe. Idque inde natum eſt, quòd, cùm Petrarcha ſuum latinæ linguæ decus reddere occœpiſſet, Itali homines tanto ejusdem amore ſuccenſi fuerint, ut vernaculum ferè neglexerint. Quapropter ad ea usque tempora, quibus Carolus V. Imperator Bononiæ coronatus eſt, tenuit ea quæſtio, decerétne argumenta ſeria & magnifica Italico ſermone pertractare? (quem honorem illi jam habuerant Joannes Villanius in proſa, & Dantes Aligerius in verſa oratione) an potiùs continendus is eſſet inter limites ſolius popularis conſuetudinis, & privatarum, neque magni momenti ſcriptionum? quæ ſcilicet hodiéque multarum vernacularum per Europam fortuna eſt. De

hac

hac igitur Controverſia in celeberrimo illo Conventu à varijs publicè declamitatum fuit; quanquam & ante illud tempus, & deinceps quoque ſuper eadem re Varchius, Caſtelvetrius, aliíque viri doctiſſimi ſcripſerunt; ſed ante omnes Petrus Bembus, cujus vitam enarrans Cata, hanc ei vindicati ab humilitate ac contemptu idiomatis Italici gloriam tribuit. Hæc itaque cauſa fuit, quæ Authoribus Thuſcis, qui quanto decimo ſæculo floruerunt, tantam exiſtimationem & Auctoritatem præ reliquis peperit, & diu multúmque conſervavit.

6. Verùm enimvero, ſi venire in cenſum jubeamus ſcriptores illos, qui ab ineunte ſæculo decimo ſexto Italicâ linguâ tum Orationes, tum omnis generis Poëmata exarârunt, non modò ſuperiores illos, qui ſæculum decimum quartum illuſtrârunt, æquâſſe mihi videntur, verùm etiam vix poſtponendos exiſtimo illis, qui ætatem Auguſti famâ tam celebrem reddidêre. Quamobrem mihi perſvadeo, gentes exteras, &, ſi ſermo Italus aliquando interiret, noſtros quo-

que

que poſteros haud magìs cupidos fore pernoſcendæ illius linguæ, quæ quarti decimi, quàm quæ noſtri, & ultimò elapſi ſæculi literaria monimenta ipſis retegeret.

7. Neque iſta, in quam concedo, ſententia, præter duplicis generis literatos adverſum forſan habebit ullum. Altera claſſis eſt eorum, qui de quæſtionibus judicare non ſolent, expenſis utriusque cauſæ momentis, ſed enumeratis tantùm calculis eorum Authorum, quos ipſi, ceu Judices ſupremos, reverentur: neque animadvertunt eos authores, cùm viverent, jure quidem merito antepoſuiſſe decimi quarti ſæculi ſermonem omni alteri, qui ad id usque tempus viguerat; non autem illi, qui ab eorum exceſſu primùm natus, adeóque ipſis ignotus fuit. Alterum genus eſt eorum, qui in ætate puerili & aſſueta magìs ex aliorum authoritate, quàm ſuo ſenſu, atque animadverſione opinari, ſtudij plurimum poſuêre in veterum illorum Idiomate perveſtigando. Quo factum eſt, ut tametſi deinde poſſent ingenio frau-

fraudem deprehendere, nollent tamen in eam ſententiam adduci, quæ mercis tam carò emptæ pretium apud ipſos elevaret. At enim mercium pretium non à privata poſſidentis, ſed à communi hominum exiſtimatione pendet. Ea verò qualis ſit, nemo non videt, cùm non dictis tantùm, ſed (quod longè certius argumentum eſt, ut Ariſtoteles notavit) (a) ipſo etiam uſu illam teſtatam reddiderint.

8. Exiſtimo tamen, eas phraſes, quæ antiquis uſitatæ ſunt, nec à poſterioribus neglectæ, præponendas eſſe ijs, quæ prorſus novæ ſunt, utique ſi nulla præterea inter utrasque diverſitas fuerit: tum quia priores illæ plus obtinent in communi opinione auctoritatis, ut quæ pertulerint ætatem, & nullius partis ingratijs ſupervivant: tum quia neſcio quid amplius Italici vultûs præferunt, cùm è contrario in his recèns adſcitis plus aliquid peregrinæ originis deprehendatur. Etenim pleraque vocabula, quæ initio ab alijs linguis, maximé-que

(a) *Ethic. lib.* 10.

que à Latina in Italicam translata ſunt, tanquam filij *arrogati* (ut cum juriſperitis loquar) relictâ priſtinâ in ejus, qui arrogavit, familiam prorſus tranſiêre, certis nimirum modis ac legibus Hethruſcæ linguæ proprijs immutata. Quæ verò deinceps acceſſerunt, ceu filij tantùm adoptivi, non exuêre primævam agnationem: id quod nullo negotio exemplis planum fieri poſſet, ſi liberet nobis eſſe longis.

9. Quodſi enâtæ poſtea voces, & à claris admodum ſcriptoribus in familiarem conſuetudinem adoptatæ, vel magis propriè, vel breviùs rem efferunt, hoc nomine poterunt vel æquare, vel etiam ſuperare præſtantiam illam, quam antiquis, ob adductas priùs rationes, conceſſimus. Nempe ut in nominibus, ſic & in verbis minùs eorum nobilitas eſt penſanda, quàm virtus.

10. Et hæc demum aperiunt, quid ſentiam de ſcholarum barbaro & effreni ſermone, déque delectu inter voces phraſésque veteres ac novas faciendo, tum in Romano, tum in Italico ſermone.

Iſta-

Iſtáque ſunt momenta rationum, quæ mentem meam in hanc ſententiam pertraxêre; eadémque, ut opinor, erunt ad ferendum de aliis linguis judicium perquam opportuna.

Pro hujus rei coronide expectatis, puto, noſtram de illis quoque vocabulis ſententiam, quorum peculiaris in unaquaque ſcientia eſt uſus. Sed de his poſtmodum ſingulari capite diſceptabimus.

Caput XXVIII.

Quanam ratione reliqua Elementa Elegantiæ à Profeſſore ſcientiæ uſurpanda ſint?

1. AD alia, quæ ſuperiùs enumeravi, Elementa Elegantiæ progredior. Translatiuncularum inprimis opportuniſſimus uſus fuerit, ſi peregrinæ quidem, ſed è patria non admodum remota profectæ ſint, vel certè jam pridem in ditionem novæ illius ſignificationis migraverint, ſic ut popu-

larium ferè ac Civium in numero habeantur. Hac enim ratione non erunt Metaphoræ inſtar veli, quod obtegat, ſed inſtar cryſtalli, quæ minutum aliàs Philoſophicarum commentationum characterem haud paulò clariorem amœnioremque viſu reddat. Idem de cæteris ſchematibus cum proportione ſentiendum eſt.

2. Illa etiam Elegantia, quæ in Brevitate conſiſtit, Didaſcalicæ ſctiptionis pretium auget, quòd & intelligentiam reddat expeditiorem, & memoriam mirificè juvet: id quod agnovit Horatius, & Ariſtoteles unus omnium maximè deamavit. Verùm in tota diſputatione, & in ſingulis ſententijs, obverſetur animo dictum illud Martialis: (a)

Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis.

3. Utque rem iſtam perducamus ad finem, ſuper varietate vocum ratio ineunda eſt ejuſmodi. In ijs rebus, qnæ ad ſubſtantiam argumentationis minùs faciunt, venuſtum ornamentum eſt vo-

cum

(a) *L. 2. Epig. 77.*

cum varietas: nam & delectationem excitat in legente, & in ſcriptore notat Eloquentiæ ubertatem. Verùm, ſi ſæpius memorandum occurrerit id, de quo ex profeſſo diſputatur, conſultiùs erit, id ejusdem vocis repetitione confici. Quippe cùm vis omnis efficacitásque ratiocinationis humanæ illo generali axiomate nitatur. *Quæ ſunt eadem cum alio tertio, inter ſe quoque unum idémque ſunt*, conducet profectò ad demonſtrandum, quòd tertia illa ſit una quædam res, ſi una eadémque ſit etiam nomine. Quapropter & veſtium mutationem is potiùs uſitare conſuevit, qui alius videri, quàm qui cupiat agnoſci.

4. Orationem monito concludam: nempe, cùm brevis adeò & negotioſa ſit vita mortalium; palmarem eſſe ſtultitiam, illius partem maximam ſtudio verborum impendere, nullam verò, aut vix ullam rebus ſervare; quaſi verò iſtas penitus perſpectas, natura ipſa præmonſtrante, citra temporis & laboris diſpendium haberemus. Igitur obſervandæ quidem erunt in Philoſophicis libris ſu-

perius traditæ præceptiones, ſed diligentiâ admodum temperatâ, nempe quæ debitum ratiocinationi tempus non præripiat ſibi, ut ne parentes illos imitemur, à quibus major cura attentióque adhibetur, ut liberis ſuis aptè veſtes hæreant, quàm ut membris robur, & animo virtutes accedant. Verùm, qui è contrario, neglectâ omni cura dictionis, ceu ſolis pueris, & Pædagogis digno labore, totum ſe rebus impenderit; is ſanè oblitus videtur menſas cauponum, ac nobilium hoſpitum, non ipsâ ciborum ſubſtantiâ, ſed ſolis ferè condimentis differre.

Caput

Caput XXIX.

Vtrùm in traditione Diſciplinarum ſeveriorum deceat earum vocibus, quamvis Barbaris, uti.

1. PRæcipuum dubium de proprijs cujusq; artis vocabulis ſupereſt. Et in hoc ego Pici ſententiæ accedo, quam ipſo hujus diſſertationis exordio produxi: ita tamen, ut exceptioni faciam locum. Quod mihi probabilem eam ſententiam facit, primum eſt Auctoritas M. Tullij. Sanè vetus illud: *Ipſe dixit*, de Cicerone intellectum non minus valet ad confirmandas præceptiones Elegantiæ, quàm idem de Pythagora pronunciatum in dirimendis quæſtionibus Philoſophicis valuerit. (a) *Stoicorum*, inquit ille, *non ignoras, quàm ſit ſubtile, vel ſpinoſum potiùs diſſerendi genus: idque cùm Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt, imponendáque nova novis rebus nomina.*

(a) *L. 3. de finib. in princip.*

mina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cujus uſus vulgaris, communisque non ſit, multam novitatem nominum eſſe, cùm conſtituantur earum rerum vocabula, quæ in quaq; arte verſentur. Itaque & Dialectici & Phyſici verbis utuntur iis, quæ ipſi Græciæ nota non ſunt. Geometræ verò, Muſici, Grammatici, etiam more quodam loquuntur ſuo. Item ipſæ Rhetorum artes, quæ ſunt totæ forenſes, atque populares, verbis tamen in dicendo quaſi privatis utuntur, ac ſuis. Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis uterentur nobis incognitis, uſitatis ſibi. Quin & Agricultura, quæ abhorret ab omni politiore Elegantia, tamen eas res, in quibus verſatur, nominibus notavit novis. Quò magis hoc Philoſopho faciendum eſt: ars eſt enim Philoſophia vitæ: de qua diſſerens arripere verba de foro non poteſt. Quanquam ex omnibus Philoſophis Stoici plurima nomina verunt. Zeno quoque eorum Princeps non tam rerum inventor fuit, quàm novorum verborum. Quòdſi in

ea.

ea lingua, quam plerique uberiorem putant, conceſſum à Græcis eſt, ut doctiſſimi homines de rebus non pervulgatis inuſitatis verbis uterentur, quantò id vel nobis magis eſt concedendum, qui ea nunc primùm audemus attingere? Talis fuit ſuper proprijs artium vocabulis ſapiens procul dubio Tullij opinio. Ut verò res iſta penitiùs percipiatur, eam ab ovo exordiemur.

2. Et primò quidem perneceſſarium erat ſocietati humanæ, ut ſimplici nomine non res tantùm ſimplices efferrentur, verùm illæ quoque, quas vel ars, vel fortuna compoſuiſſet; ſiquidem earum rerum mentio ab omni hominum ordine in horas facienda eſſet. Sic itaque oportuit, *Domum*, *Silvam*, *Vineam*, *Civitatem*, *Regnum*, *Mundum*, non ſemper advocatâ omnium partium, quibus ſingula conſtant, operâ deſcribi, quotieſcunque è re foret, eorum meminiſſe; id quippe prolixum non minùs, quàm moleſtum fuiſſet. Contrà accidit in ijs rebus, quarum infrequentior commemoratio futura erat; nihil enim illos urge-

bat, ut ſingulis ejusmodi rebus ſingula nomina imponerent, ne ſcilicet jacturam temporis facerent ipſi, alióſque cogerent ad idem ſubeundum incommodum, quibuscunque foret ea lingua perdiſcenda. Nimirum tantam optimarum horarum partem de tenui hoc mortalis ævi patrimonio in varia negotia ſumptu planè neceſſario diſtrahimus, ut exiguas illius reliquias non prudenter quis impendat, etſi utiliter impendat, ſi majorem utilitatem neglexerit: quemadmodum agrorum dives, ſed ſementis inops, non omni culpa vacaret, ſi eam, quæ ipſi ſupereſt, feraci quidem ſolo commendaret, ſi tamen pinguiorem glebam incultam relinqueret.

3. Poſthæc, quæ à principio usque relicta ſine nomine fuerunt, alia ſubinde à novarum artium inventoribus producta ſunt, vel ab ijs, qui ſummam manum artibus jam inventis addidêre. Atque his proprium nomen imponere non admodum curæ fuit univerſitati hominum, ut quæ rerum hujusmodi perrarò faceret mentionem; atque tum grave

ipſi

ipſi non eſſet, in earum deſcriptionem aliquot vocabula inſumere. Idque duplici ferè ratione præſtiterunt. Interdum enim res hactenus innominatas, quæ pluribus partibus conſtant, ſingularum partium enumeratione notârunt, quandoquidem iſtæ jam fuerant ſuis nominibus inſignitæ. Ita quod Latini *Mulsū* vocârunt, non aliter Itali exprimunt, niſi partibus illius memoratis: *Vinum* ſcilicet, & *mel confuſum* appellantes.

4. Quandoque verò recenſuêre illorum, quæ ſignificare cupiebant, proprietates aliquas, quo ad judicandum eorum à rebus alijs diſcrimen, declarandámque naturam ſufficerent. Exemplo ſit *Horologium rotatum*. Hoc enim arte factum ſimplici, quæ exprimatur, nomine caret, ſed primùm voce *Hora* ſecernitur à reliqua claſſe rerum, quibus nihil eſt cum tempore commune. Deinde *Logium*, quod in eodem compoſito nomine additur, diſcrimen notat ab ijs rebus, quæ natæ non ſunt ad faciendum nobis aliarum rerum indicium: & denique per voculam *rotatum* à clepſydris

& varijs ſciatericorum horologiorum generibus ſeparatur. Sic quoque Germani, qui alio nomine carent, quo chirothecas appellent, ***manuum calceamenta*** indigitant. Maluerant enim accerſitâ non procul Metaphorâ uti, quàm vel proprium indere nomen, vel generale illud thecæ, aut indumenti vocabulum ad eam exprimendam adhibere.

5. Ijs tamē artificibus, quibus in ſingula momenta ſuorum operum arma, ſeu opera ipſa, & univerſa artis ſuæ materies in ore verſari debebant, neceſſarium fuit ſimplex aliquod vocabulum, quo res ejuſmodi promptè poſſent exprimere: quemadmodum reliquis etiam hominibus propria earum rerum nomenclatio debebat ſuppetere, quarum ſæpius fuerat mentio facienda. Quamobrem non omiſerunt illi peculiare ſibi Idioma, quo res iſtas notarent, quodammodo conſtituere, ita tamen, ut Idiomatis hujus vocabula ferè derivarent à vocibus patrij ſermonis, vel ſi non patrij, ſatis tamen noti: & ab ejuſmodi quidem vocibus, quæ alijs quoque homi-

minum ordinibus communes eſſent, & ad exprimenda earum rerum attributa maximè propria valerent. Ita namque fiebat, ut illæ voces, etiam rudibus ejus artis, continuò præberent indicium ſuæ poteſtatis, ac præterea tenaciore viſco memoriæ agglutinarentur.

6. Atque hoc in Geometria clariſſimum eſt. Definitiones enim Geometricæ ut plurimùm aliud re ipſa non ſunt, quàm quædam earum vocum complexio, quas in vulgari lingua oporteret exprimere, ut lineæ illæ, vel figuræ, quas definiunt, declararentur. Verùm Geometræ complura illa vocabula popularis ſermonis, in unam vocem, privatæ ſuæ linguæ compendio, contraxerunt. En exemplum, ſi duas lineas ſic eidem ſolo impoſitas, ut quantumvis protenſæ, omni ſua parte æquum inter ſe intervallum relinquant, nominare volueris, è Geometrarum nomenclatore diſcas breviore illas vocabulo *Parallelas* appellare.

7. Licet itaque, quia & conſentaneum rationi, & uſu receptum, ut artis

cujusque Profeſſores à brevibus vocabulis ſeſe inſtructos reddant, quibus appellent ea, quorum creber apud eos ſermo rediturus eſt, quemadmodum Mercatores, quibus ſæpe grandis pecuniæ vis expendenda venit, argenti ſignati pondera auro permutant, cujus nempe numeratio eſt expeditior.

8. Idipſum quoque fieri in ſcribendo ſolet. Quippe non modò in Epiſtolis conſueti hac tempeſtate honorum tituli, atque in Juriſperitorum voluminibus Legum contextus, qui tam crebrò allegandi ſunt, receptis compendijs characterum notantur, verùm etiam numeris Arithmeticis, & cæleſtibus ſignis breviſſimas quaſdam notas in eundem finem à Mathematicis tributas videmus.

9. Neque diverſum morem tenuêre veteres Latini, cùm apud eos quoque una alteráve litterula integri nominis vicem expleret. Atque hujuſmodi notæ ab illis *Sigla* vel *Siglæ* vocabantur, quaſi ſingula aut ſingulæ: de quibus *Mango* exaratum à ſe librum Carolo Magno

dica-

dicavit. Quin imò veteribus in uſu fuerunt peculiares quidam characteres, & veluti arcanæ notæ, quarum ſingulis plures ſimul earum vocum indicabantur, quæ conjungi ab Oratoribus frequentiùs ſolerent. Atque hos characteres ab Ennio primùm ad mille ac centum repertos, ſubinde à Tirone & Aquila, illo Ciceronis, hoc Mecœnatis liberto, multùm auctos, Philargius Samius, & demum L. Annæus Seneca usque ad quinquies mille multiplicârunt, quemadmodum præter alios refert Petrus Diaconus, (a) addens hoc eorum commodum fuiſſe, quòd Librarij diviſis inter ſe partibus cum fide ac facilitate in pugillares referre poſſent, quæcunque ab alijs curſim & impetu dicebantur.

10. Aiebam verò, Pici opinionem non ſine exceptione probari, & ea quidem gemina eſt: conabor autem utramque explicare inſtituta comparatione ad ea ipſa literarum compendia, ſive notas, quarum non ita pridem utebar exemplo. Sit igitur prima exceptio, ut voca-

(a) *In Prolog. Notarum. ad Cor. Imp.*

bula ſcholaſtica, & hæc, veluti plurium nominum in unum aliquod contracta compendia, tum planè caveantur, cùm ambiguam reddere ſententiam, & tenebras poſſunt pro luce affundere. Idem enim incommodum, quod hinc naſcitur, duos Imperatores, Juſtinianum & Baſilium permovit, teſte Cedreno, ut edicto caverent, ne lèges, vel legum etiam tituli, aut numerus Siglis, ſive compendiarijs notis tranſcriberentur. Quare, ſi quando vox iſta, *formaliter*, aut alia id genus, plures ſubire ſignificationes poteſt, conſultius erit, plus aliquantò verborum inſumere in explicationem ejus ſensûs, quem animo ſcriptor concepit. Nempe in his ſcholaſticis notis idem, quod in arcanis characteribus, accidit. Interdum enim una ejusmodi nota multarum literarum diſpendium redimit, aliquando verò *nulla* eſt, prout eam privati Principum amanuenſes appellant: neque in alium uſum valet, quàm ut arcani ſensûs difficiliorem reddat intellectum; dum nimirum ille, qui aperire eas notas allaborat, varios ſenſus

ſus effingit, qui omnes falſi ſunt, quia revera nullius rei ea nota eſt. In hunc igitur modum barbaræ illius nomenclationis vocibus, quas Lycæorum præſides pridem uſurpârunt, ingens revera vis ac virtus, veluti paucis ſtilis *quintæ*, quam vocant, *eſſentiæ* comprehenſa concluditur; ſed quæ ſubinde à philoſophantium vulgo ſuperadduntur, ſunt veluti notæ illæ nihil ſignificantes, eo tantùm inculcatæ conſilio, ut ne quis in eorum libris ipſorum inſcitiam, ac rude ingenium perſpicuè poſſit deprehendere. Quapropter, quod pro regula habent ſcriptores Epiſtolarum, ut nunquam literis inſerant tertiæ perſonæ Relativum, non expreſſo priùs Abſoluto nomine *Dominationis*, *Excellentiæ*, ſeu alio hujusmodi, à quo relativi illius ſignificatio pendet, ſic omnino expediet, ut non antè utamur aliquâ ſcholaſticarum illarum vocum, quàm illius vim conſuetis vulgò vocabulis explanaverimus. Quodſi hoc fieri nequit, erit ſanè argumento, vocem ejusmodi *nullam*

 eſſe,

eſſe, cui ſcilicet in vulgari Alphabeto reſpondentem non ſit reperire.

11. Altera exceptio ſic habet; ut horum vocabulorum uſurpatio non ad ſolam ſcientiæ pompam producatur. Contingit enim aliquando, ut aliqui Thraſones, qui ſe Philoſophos mentiuntur, ceu miris miriores doctrinas efferant ſententias, re vera lippis notas atque tonſoribus, quæque præter tenebras, quibus involutæ ſunt, nihil habeant eximium ultra id, quod in ore rudiſſimi cujusque obtinerent. Prô mirabilem fraudem, qua juventus ſtudioſa circumvenitur! Aurum hæc, & auro pretioſius tempus, laborémque conſumit, ut à Philoſophis doctrinam & lucem conquirat illuſtrando ingenio, ac ſæpenumero non refert aliud, quàm cæcatum Idioma. Conſimilem corruptelam ætatis ſuæ Cauſſidicis cum ludibrio Tullius objicit. Hi enim, cùm moleſtè ferrent Cneum quendam Flavium expiſcatum callidè, ac deinceps vulgâſſe faſtos dierum, quibus judicia habebantur, perſpectos ſibi antehac ſolis, miras

quaſ-

quaſdam dicendi formas invexêre, quibus non aliud myſterium ſuberat, quàm quòd obſcurè, ac per ambages ſignificarent, quod breviter & apertè vulgaribus phraſibus poterant: idque in eum finem, ut eos, qui contendere judicio cuperent, operâ ſuâ uti cogerent, cariturí ſcilicet commodis ſuis, ſi communi, ac cæteris quoque intellecta nomenclatione varia illa ratio civilium dierum ſcriberetur.

12. Hunc poſteriorem errorem evitabimus, ſi voces barbaræ parca manu, nec copioſiùs ſpargantur, quàm lectori placiturum videatur, redimendi ſcilicet temporis gratiâ, quod per frequentes deſcriptiones produceretur, &, ut paucis rem abſolvam, unius commodi ſtudio, non pompæ. Maximopere verò in Ethicis hoc ſervandum, ubi minor eſt ejusmodi vocum neceſſitas. Quamvis nec ab Ethicis eas omnino rejiciendas cenſuerit Tarquinius Gallutius, cujus exemplum in hac re tantò majorem auctoritatem habet, quantò manifeſtius eſt, id ab eo non neceſſitate, ſed conſilio

actum fuiſſe. Nimirum opera illius palàm faciunt, quàm prompta ipſi ad quamcunque ſententiam exponendam latinitas fuerit.

13. Ad hunc modum in elegantibus amœniſque ſcriptionibus nobilitatæ voces illæ, quarum modò tam hirta & incompta ſpecies eſt, exuere forſan poſſent paulatim humilitatem ſuam, ob quam hodie infra cæterarum artium, etiam mercenariarũ voces, literatorum hominum judicio dejecta jacent Philoſophica vocabula, quia ſcilicet minùs, quàm reliqua omnia, in neceſſitudinem venuſti ſermonis admiſſa ſunt.

14. Hactenus à nobis optima ratio Didaſcalici ſtyli quæſita fuit, ſupereſt inquirendum, id quod initio hujus operis propoſuimus, an ad hunc finem proficientius ſit, proprio nomine ac perſona loqui, quod in tractatibus fieri aſſolet, an potiùs alienam perſonam induere, quæ nimirum conſuetudo eſt Dialogorum.

15. Neque verò credat aliquis è tali diſputatione nullum ab eo fructum capien-

piendum, cui vel deeſt facultas ſcripto tradendi quampiam doctrinam, vel non eſt animus texendi Dialogos. Aliud enim eſt quæſtio iſta, quæ enodanda ſuſcipitur, aliud, quod in ejus enodatione docetur. Quæ ſi confundas, Platonis etiam, ac Ariſtotelis diſputationes de legibus non ab alio lectore attingendas eſſe dicas, quàm qui ad ferendas leges & ſtatuta ſancienda eſſet accinctus: quod, quàm ſit abſurdum, nemo non videt.

Caput XXX.

Præmittitur diſſertatio de imitatione Poëtica, ejus natura, & fine.

1. INter omnia animantia avidiſſimum imitationis eſt hominum genus: nam & libenter imitamur ipſi, & imitantes cum voluptate ſpectamus. Hinc maximam partem naſcitur Poëſeos, Picturæ, ſculptoriæ, ac Muſices grata illa jucunditas: & hinc pariter facilitas illa provenit, qua homo artes omnes

omnes addiſcit, in decem omnino digitis vim quandam Omnipotentis virtutis participem circumferens. Hujus voluptatis, quæ propria eſt hominum, meminêre omnes, qui de Poëtica ſcripsêre: verùm ejus origo à nemine, quem ſciam, detecta fuit. Erit igitur operæ pretium, eam hoc loco exponere; idque ſimul valebit ad defendendas diſciplinas imitatrices, atque à criminationibus Platonis, (a) quas alibi produximus, vindicandas.

2. Igitur ea, meo quidem judicio, verſatur in hoc, quòd, quisquis imitatur, idem & doceat: quisquis imitantem videt, idem & diſcat. Docere autem, & diſcere, jucundum accidit, illud quidem ſuperbiæ, iſtud verò curioſitati humanæ; & utrumque à natura dulcedinis aſperſione nobis commendatur, ut eò certiùs proveniat optatum ſcientiæ, incrementum. Quin imò ipſa doctrina quæ viſæ imitationis magiſterio condiſcitur, unâ eâdémque operâ & curioſitatem ſuaviter paſcit, & ſuperbiam mentis humanæ: quod enim hac ratio-

(a *Plato* 10. *de Reg.* l. 2. *de Bono.* c. 19.

ne

ne quis addiſcit, alterius imitationi, tanquam occaſioni fortuitæ; proprio autem ingenio, ceu principi cauſæ acceptam refert. Non equidem hîc aio, quòd imitator doceat imitari, &, qui videt imitantem, hoc ipſum diſcat, ſic enim nihil dicerem, cùm id per omnes actiones, quæ exercentur in publico, pertineat, ut, qui eas facit, doceat quodammodo eaſdem efficere, quique illas videt, diſcat eaſdem effectas dare. Verùm hoc habet imitatio eximium, quòd rerum proprietates naturámq; nos doceat.

3. Imitari ſcilicet aliud non eſt, quàm ejusmodi opus efformare, quod etſi ſit aliud ab eo, quod dicimur imitari, multis tamen proprietatibus amictum eſt, quæ illi alteri ſolent peculiari nomine convenire, quæque proinde ob hanc ipſam ſimilitudinem mentem noſtram continuò ad illius Prototypi memoriam deducunt. Animadvertens ſubinde, quî factum ſit, ut in ejus rei recordationem veniret, intelligit hoc earum proprietatum operâ eveniſſe, quas ſingulariter utrique rei eſſe communes recognoſcit.

Atque hinc duplicem ſibi generalem notitiam comparat. Altera eſt, quòd ei, (libet enim hoc exemplo uti) quam inciſis venis emori contingit, talis eſſe ſpecies ſoleat: alia, quòd talis ſpecies communis ſit homini, hoc lethi genere extincto, & marmori quod tali omnino artis cæliquе ingenio elaboratum ſit: qualis eſt expirantis Senecæ ſtatua in villa Pinciana Principum Burgheſiorum. Primam illam notitiam ea ſtatua omnibus parit, perindéque jucunda eſt omnibus: poſterior non niſi ab illis percipitur, qui ſtatuariam callent, ídque eſt ipſis peculiare oblectamentum.

4. Idipſum in omnibus omnino æmularum artium operibus accidit: Lyræ namque cantus, choreæ, quatenus imitantur, illo fidium pulſu, illa flexione vocis, illa greſſuum juſta, moderatáque varietate, ſonos ac motus exprimunt, quos notare ſolemus vel in hominibus certi ordinis, affectûs, patrię, vel in volucre aut ſpeciei alterius animante. Quatenus imitantur, aiebam: quippe tametſi artes illæ ab Ariſtotele inter imitatrices

cen-

cenſeantur, haud ideo pronunciaverim, unicum earum ſcopum eſſe imitationem. Hæc enim profectò vel non ineſt revera omnibus earum operibus, vel ſaltem non manifeſtè in omnibus relucet. Quatenus tamen imitatio ſe prodit, gemina illa, quam notavimus, voluptate perfundunt ingenium. Et altera quidem communis eſt omnibus, dum generalem hanc varietatem tacitè docemur, tale ſcilicet hominum vel animantium genus talem edere ſonum, aut ſic incitare greſſum ſolere. Altera privatim afficit ejusmodi artium gnaros, nempe qui talem vocis ſonum, & ſpeciem geſticulationis non ijs tantùm communem eſſe advertunt, qui vel natura, vel conſuetudine, vel perturbatione ſic comparati ſint, verùm etiam alij certas quasdam præceptiones ſecuti, ſtudio & arte vocem ita inflectant, aut torqueant gradum.

5. Id omne luculentiùs videre licet in Poëtica, quam diſciplinarum omnium, quæ in imitatione verſantur, appellare reginam poſſis, tum ob præſtantiam, varie-

adeóque nutricem ſe præbeat Philoſophiæ, lac ei dulciſſimum propinans.

6. Age, inſpiciamus exempla. Lego in Marone ſenem Entellum, cùm ab Rege Anceſte ad cruentum illum cæſtuum luſum incitaretur, quo Siculorum ſuorum gloriam adversùs advenas vindicaret, narrare Victorias olim à ſe juvene reportatas. Lego in Taſſo, hoc ipſum à vetulo Raymundo agi, cùm timori ſuorum ſuccenſeret, quos Argantis provocatio conſternârat. Hinc occurrunt animo meo etiam alij ſimiles eventus, quos vel oculis, vel auribus aliquando accepi: & hanc generalem veritatem elicio: *Uſitatum eſt provectis ætate, juventutis ſuæ facinora denarrare, maximè ad ſtimulandam ignaviam juniorum.* Lego Æneam in Siculo mari tempeſtatibus jactatum, ac propè naufragantem, pavore prorſus attonitum obriguiſſe, ac gemitibus id genus mortis deplorâſſe; ex quo generale hoc documentum colligo: *Non eſt Heroum fortitudini adverſum, tempeſtates maris expaveſcere: nec indecorum, inglorij fati periculum gemitibus proſequi.*

7. E

7. E præmiſſa doctrina multiplex conſecutio colligi poteſt, eâdémque operâ definitionis Ariſtotelicæ, quam alij diverſis adeò modis explicuêre, verior ſenſus apparebit, ejus, inquam, definitionis, qua natura Poëtices in imitatione conſtituitur.

8. Prima conſecutio eſt, quòd in Poëtica idem ſit, veriſimilem eſſe, ac imitatricem, eatenus enim imitatur, quatenus unamquamque actionem ea ratione proponit, qua vel ſolet, vel debet revera geri.

9. Altera eſt, hac ipſa de cauſa Poëſin tum longè pulcherrimam eſſe, cùm mirabilitatis habuerit plurimum. Nam, quemadmodum agentes de Argutijs dicebamus, mirandum quidpiam didiciſſe, perinde eſt, ac quod exiſtimationi noſtræ penitus contrarium erat, didiciſſe: ſícque pretioſior eſt præda veritatis, quàm ſi quid uſitatum in notitiam noſtram veniſſet: quod enim uſitatum eſt, id nullo negotio ex antecedente cognitione in animo noſtro poterat excitari.

10. Tertia eſt, poſſe quidpiam mirabile

bile videri, quod revera inopinabile ſit, ſi videlicet, ut verum, animo concipiatur. Puta equos alatos, naviúmque in Nymphas Metamorphoſim, aliáque hujus generis, quæ dum in imaginatione noſtra depinguntur, utique judicamus, ſi vera forent, admirationi nobis futura. At, quod reipſa mirabile judicamus, etiam, cùm non verum, ſed fabuloſum id eſſe cognoſcimus, naturâ ſuâ exigit, ut veroſimile videatur. Atque hoc eſt mirabile illud omnium laudatiſſimum, ac Poëticis inventionibus maximè proprium. Declaro pariter, firmóque effatum iſtud meum. Non, quidquid inſolens proponitur, admirationem nobis parit. Imò quamvis ſit diverſiſſimum ab eo, quod aliàs agnitum habitúmque pro vero fuit: haud tamen erit admirationis materies, ſiquidem deprehendamus talis rei figmentum vero eſſe prorſus diſſimile. Cujusmodi foret, à Patre filiam unicè dilectam ſine ulla cauſa mactari: quod tamen procul dubio ſingularem admirationem excitaret, ſi reapſe contingeret. At verò cum admiratione audimus

dimus eventum, etſi fabuloſum, in quo, ſpectato rerum humanarum curſu, vero-ſimiliter accidere videatur, ut amantiſſimus pater filiæ ſibi chariſſimæ innocentiſſimæque mortem inferat: veluti in Tragœdia ſua, quæ Iphigenia in Aulide inſcribitur, Euripides comminiſcitur.

11. Atque ex hoc ipſo celeberrimæ illius controverſiæ ſolutio eruitur: utrum ſcilicet Poëſi conveniat inducere prodigia? Prodigiorum autem nomine illa quoque opera complector, quæ negata mortalium viribus, Angelorum tamen facultati à natura conceſſa fuere. Negant id aliqui, quod ſcilicet expeditum, minimèque ingenioſum artificium ſit, nodos diſſolvere, & oſtentare miracula, ſi eam in rem advocetur pro libitu opera major humanâ. Affirmant alij, quoniam hæc maximè idonea ratio eſſe videtur, fidem cum admiratione conciliandi, utpote pervulgatæ notitiæ, quam de Divina Angelicáque virtute habemus, innixa. At verò neutrum argumentum mihi ſatis habere virium videtur.

detur. Non prius, quia, ut exponemus deinceps, inventio prodigij ad Poëticam formam mirabilis, non eſt ſanè humilis ingenij labor. Non item poſterius, quia mirabile Poëticum non eſt illud, quod mirabile tantùm factu foret, & quod credulitate lectorum indigeat, uti dicebam; ſed id, quod fictu quoque mirandum eſt, tum quoque, cùm pro ficto agnoſcitur. Quapropter invenienda ratio, quæ fabuloſam cæleſtium virtutum advocationem idoneam oſtendat eſſe, ad peculiarem ejuſmodi excitandam admirationem. Igitur animadvertendum eſt, ob Divinam, Angelicámque mira quævis patrandi virtutem, ſi hanc unicè ſpectes, miracula non reddi ſimilia vero. Perſpectum namque habemus, rarò ea patrari, ac proinde, cùm ſucceſsêre, obſtupeſcimus. Hinc eſt, fabulam, quam quis tali arte jam inde ab exordio texere cœperit, ut planè conſequens, adeóque veriſimile videatur, Deum ſuas in ea partes agere, vel certè bonis, malíſve genijs velle concedere, ut prodigia miſceant, talem, inquam, fabu-

lam opus eſſe perſpicaciſſimæ diligentiæ: atque adeò vel fictu mirabile. Et hoc forſan eo dicto indicatum fuit: (a)

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit:

Non verò id, quod vulgò creditur, ne ſcilicet prodigia comminiſcamur, niſi cùm adeò intricatus nodus fuerit, ut humanâ nequeat induſtriâ ſolvi. Etenim innumerabiles hujus generis nodi in rerum humanarum viciſſitudinibus implicantur; quin vel Deus, vel Genij cæleſtes ſuam illis extricandis operam commodent, patréntque prodigia. Non igitur talis neceſſitas ad veroſimilitudinem ſufficit. Sed fortè Horatius eâ ſententiâ veniâ id quidem, non laude dignus affirmavit: quo ſenſu etiam Ariſtoteles hac de re diſſeruit. Nec aliunde oritur, quòd nuperæ fabulæ, ex prodigijs compoſitæ, non niſi rudiſſimos quoſque ſuo ſtupore delectent, eos ſcilicet, qui eam inimicitiam cum veroſimilitudine non advertunt, ſed veluti mirandum ſuſpi-

(a) *Horatius de Arte.*

ſuſpiciunt id omne, quod ipſi cogitando nunquam fuiſſent aſſecuti, tametſi revera non magni moliminis, ſed medio- cris ingenij opus ſit. E contrario, Ilias, Odyſſea, Æneis eruditorum quoque virorum ingenia in admirationem rapiunt; quoniam poſt communem illorum temporum perſuaſionem, quòd Heroës aliqui genus à Deorum ſtirpe deducant, adeóque ſingulari cura ſtudióque ab illis protegantur, ſic fabulas ſuas laudati Poëtæ concinnârunt, ut ſimilia vero prodigia illa viderentur, quæcunque confingebant, itáque admiratione complerent illos quoque, qui non tantùm earum fabularum vanitatem perſpectam habent, ſed quibus etiã inſolens eſt ad alia, quàm difficillima tantùm ingeniorum inventa, ſupercilium adducere.

12. Verùm animadverti hoc loco velim, quod non ita paſſim notatum eſt, haud exigi à Poëta, ut omne ipſius commentum reapſe ſit veroſimile, neque ut pro tali habeatur à ſapientibus, tametſi maximo ſtudio iſtorum quoque delecta-

tionem approbationémque procurare debeat. Planum hoc reddam Oratoris exemplo: Oratori, inquit Ariſtoteles, tametſi ſuppetant argumenta, quibus ipſe vincatur, ſi tamen ea intellectu ardua fuerint, omittenda erunt, productis eorum loco alijs, quæ, licèt minorem vim habeant, captu tamen proniora ſint, & ad ſpeciem inſtructiora, ideóque perſuadendæ turbæ, ad quam is verba facit, maximè accommodata. Et tum planè conſequetur, ut orationes ſuas probet etiam ſapientibus, licèt hi, rationibus ejusmodi ad ſpeciem confictis nihil moti, illis potiùs robuſtioribus manus daturi fuiſſent. Nimirum ſic inſtitutas orationes, non ſibi, ſed populo perſuadendo adornatas fuiſſe, probè intelligunt: deprehensáque Oratorum in hoc ſcopo conſequendo felicitate, opus illud, ceu fini ſuo quàm ſcitiſſimè comparatum, magna ſua voluptate & Authoris commendatione ſuſpiciunt. Ita planè Poëmata, maximéque Dramatica, & Epica, non ad ſapientiores illos, qui & pauci numero ſunt, & robuſtiore cibo,

paſce.

paſcere ingenium conſuevêre, ceu primarium ad ſcopum tendunt, ſed gregaria captant ingenia, quorum & infinita multitudo eſt, nec ſatis patiens ſeveriorum ſcriptionum. Quare neutiquam Poëtæ narrandum in fabulis, aut pronunciandum in ſententia, quod reipſa eſt veriſimile, quódque à paucis illis ſapientibus pro tali habetur, niſi eadem quoque gregariorum hominum opinio ſit. Contrà verò narrare illud, pronunciaréque oportebit, quod ſuâ quidem naturâ, & opinione ſapientûm diſſimile vero, ut autem à vulgo concipitur, creditúrque, vero quàm ſimillimum ſit. Et talia Poëmata jucunda ſunt ipſis quoque ſapientibus, qui artem, qua ſunt conſtructa, nôrunt æſtimare, laudántque, tanquam fini, quem Poëta ſibi præfixit, ritè conformata. Ita pictor ſtellas effingit, non quidem ſimiles veræ corporum illorum ſpeciei, quali ſe cominus Paulo exhibuerunt: ſed qualem à tanto intervallo intuentium mortalium oculis oſtendunt: horum enim oculis ſuas ille tabulas deſtinavit.

Quocirca dicere ſoleo, in hoc Hiſtoricum à Poëta diſſidere, quòd, licèt is quoque, utpote reconditarum cauſarum arcanorúmque conſiliorum, haud ſatis conſcius (quis enim horum omnium in magnis diuturníſque negotijs, niſi partem aliquam novit?) potiùs, quod ſimile vero, quàm, quod verum eſt, narret, non tamen aliud ipſi comminiſci permiſſum ſit, quàm quod ſimilitudinem veri reipſa obtinet, & apud humanarum rerum peritos, quibus ſcilicet Hiſtoria ſcribitur, fidem poteſt invenire: Poëta verò id fingat, quod credibilius eſt populo.

13. Quarta conſecutio eſt: ignorationem, errorem, & ſubinde admirationem eorum, qui nodum ante Cataſtrophen ſpectant, non eſſe præſtitutum Poëticæ ſcopum, ut quæ cæterarum omnium artium more utilitate aliquam aut voluptatem venetur, cùm illa (veluti ſuprà monebamus) tormentis miſeriíſque humanæ mentis accenſeantur. Verùm prædicti effectus à Poëſi ceu idoneà inſtrumenta procurantur, ut jucun-

dior

dior accidat doctrina veritatis. Quo modo moleſtia, qua durior cantus aures præcellit, non ſui gratiâ diligitur à Muſico, ſed amore utilitatis, quam præſtat, efficiendo, ut ſuaves moduli ſubinde jucundiùs ſuperveniant. Eſt verò hæc voluptas blanda potiùs corrupti palati noſtri adulatrix, quo ægritudinem ſæpe adamamus, ut medicationis jucundiſſimo levamento perfrui liceat, quàm conformata legibus rationis, quæ puras voluptates, & nullo dolore, vel miſeria infectas amat, ideóque modum docendi Philoſophicum præ Poëtico in pretio habet.

14. Philoſophus lectores ſuos jam admirationis plenos invenit, à qua nimirum excitantur ad philoſophandum, ſeu, quod idem eſt, ad veſtigandum cauſas latentes eventuum, qui ob hoc ipſum mirabiles ſunt, quia eorum cauſæ ignorantur: ſtudétque admirationem ejuſmodi extinguere, ignoratione ſublata. Quare veritates ſic revelat, ut appareant, quàm fieri poteſt, maximè conformatæ ad lumen naturæ, adeóque minimè

mè mirabiles, quippe tum penitiſſimè cognitæ. Quomodo Ariſtoteles ait, Geometricarum diſciplinarum rudi mirißimum videri, nullam menſuram reperiri poſſe, Diametro coſtæque communem. Nihil autem mirari Geometram, quin imò huïc immanis inſtar prodigij viſum iri, ſi contrarium accideret, utpote quòd is fieri ratione nulla poſſe, perſpectum habeat. Ex adverſo autem Poëta omni ſtudio id agit, ut quà inventis, quà ſententijs, lectorem admirationis adhuc vacuum impleat admiratione, útque pro mirabili habeatur id, quod hactenus agnitum pro mirabili non fuerat. Nimirùm eam docendi viam inſiſtere Poëtis placet, quæ non compendioſiſſima quidem ſit, ſed quæ difficultatis minimum, voluptatis autem plurimum diſcentibus afferat. Neque enim ullus eſt in hoc labor, ſed multò maxima voluptas, cùm res miræ novæque audiuntur, unáque animadvertitur, talia fuiſſe illa quoque, quæ antehac cognita quidem, ſed à ſe, atque ab alijs ferè omnibus, veluti vulgaria & uſi-

uſitata, neglecta fuére. Quo modo, cùm citra laborem edoceamur veritatem aliquam, ſimul ſtimulo partæ admirationis excitamur ad intimioris perfectioríſque ſcientiæ deſiderium, quam ſubinde Philoſophiæ beneficio nanſciſcimur.

15. Quinta conſecutio ex præcedente nata hæc eſt. Intimus proximúſque Poëticæ finis non utilitas, quod nonnemini placuit, ſed delectatio eſt vulgarium ingeniorum; non qualiſcunque tamen delectatio, ut eſt manifeſtum, ſed quam ex auditis lectíſque commentationibus percipiant, in quibus miranda rerum inventa author expoſuerit. Atque iſta ejusmodi eſſe oportet, ut ſe phantaſiæ ingerant. Quippe cùm ingeniorum vulgus non aſſueverit ultra imaginationem in cogitando, ratiocinandóque aſſurgere (quemadmodum notavit Averroës) quisquis ſecum ſtatuit, ingenia turbæ delectare, is ſanè lucubrationibus ſuis favorem hujus ſacultatis conciliet neceſſe eſt. Jam verò, cùm potiſſimum inſtrumentum, hanc voluptatem procreandi, ſit certum quoddam imitatio-

nis genus, nempe rerum mirabilium, & quæ ſub imaginationem cadant, hoc ſenſu verè imitatrix dici poteſt Poëtica. Non inficior tamen, quamvis Poëticæ primus ſcopus non in utilitate, ſed voluptate poſitus ſit, hanc ipſam tamen voluptatem utilem ſimul eſſe, nec proinde proſcribendam è Platonis Republica fuiſſe, niſi ſi Poëtæ, vel ob egeſtatem ingenij, vel ob cupiditatem immodicam exaugendi voluptatem alio, quàm quod inſtituti ſui proprium ſit, genere voluptatis, deſerto Virgilij atque Homeri exemplo, ad humanarum libidinum illicia confugiant, abſurdorum ſcilicet Comicorum more, qui argutijs defecti, plauſum vulgi obſcœnis ſententijs prenſant.

16. Sexta conſecutio eſt illa exquiſita ſanè ac elegans ratio, ob quam exiguas quasque rerum geſtarum partes perſequi ſingillatim, indecorum quidem in Hiſtoria, in fabula verò laude dignum habetur: cujus quidem diſcriminis aliam prætereà in alio libro rationem produximus. Hiſtoria ſingulares eventus narrat,

rat, non ut natura, ſed ut fortuna tulit. Et quoniam ſingularia facta nullo numero continentur: memoriæ verò noſtræ facultas anguſtis admodum limitibus circumſcribitur, non alios eventus in ea reponere ſatagimus, niſi quos magnitudo ſua, mirabilitáſque ſupra alios extulit; quíve adeò ſinguli, quemadmodum cæleſtia corpora, ſpeciei integræ inſtar habent: ideóque hos ſolos in hiſtoricis narrationibus amamus. At verò Poëſis in componendis fabulis ad generalia capita reſpicit, ea ſcilicet conſectans, non quæ in hos illóſve eventus cadunt, ſed quæ vel ſolent, vel deberent in ejuſmodi caſibus evenire. Jam verò ſingulis ejuſmodi generibus, ſummíſque capitibus rerum, infinita ſingularia, adeóque infinitæ rerum notiones, nec illæ fortunæ, ſed naturæ ordini obnoxiæ comprehenduntur, unde & ſcientiæ ſunt argumenta, ſubjectáque materies. Et quoniam deſcriptio Poetica in modiciſſimas partes intenta, aliud demum non eſt, quàm notatio quæpiam plurimarum generalium notionum, quæ

in ejusmodi hominum, actionum, ſeu rerum aliarum claſſes incidere ſolet, hinc fit, ut prolixam illam Arcum tendentis deſcriptionem, quam in Homero tantopere commendamus, apud Thucydidem ceu ineptam, & riſu dignam eſſemus æſtimaturi.

17. Imò in deſcriptionibus Poëticis minimæ circumſtantiæ apparent longè pulcherrimæ. Non enim qualiacunque generalia vera illic ſe produnt, ſed planè, quæ ſcriptor maximè repoſta, nec facilè comperta lector habet, quippe adeò exilia, ut plerunque oculos indeprehenſa effugiant: cùm è contrario grandiora, magíſque inſignia rerum attributa, quæque proin ſuámet luce majori hominum parti ſe produnt, nec magnam Poëtæ afferant laudem exquiſitæ cognitionis, neque magnum lectori novæ ſcientiæ proventum.

18. Septima conſecutio veteribus illis litibus finem imponet, cùm diſceptaretur, utrùm Lyrica quoque Poëſi accenſenda ſit, è ſententia Ariſtotelis, naturam Poëſcos in imitatione collocantis: & (quod

& (quod huic controverſiæ cognatum eſt) versúne magìs, an fabulâ Poëmatis natura conſtet. Ac quoniam ſæpe rerum quæſtiones, verborum pugnis implicantur, expediet meminiſſe, quòd, licèt imitari, & invenire contraria invicem videantur, nihilominus eâdem operâ & imitatorem ſe Poëta præbeat & inventorem. Id ego ex illa generali doctrina colligo, quam ſuprà tradidimus, cùm imitatorem ab æmulatore ſecernerem: ſæpe ſcilicet eum, qui ex opere alieno in ſuum ampliſſimi tantùm generis ſimilitudinem transſcribat, ſub eo autem genere ſpeciem educat planè diverſam ab opere, quod imitatur, rectè meritóque authorem appellari; propterea quòd novam formã invenerit, in quam ejus generis proprietates conferret, quas quidem ab alio expoſitas antè conſpexerat, verùm comitatu admodum differenti ſtipatas; id quod fœcundi, acutíque ingenij eſſe opus ſolet. Atque hanc ob cauſam, pictoribus ac ſculptoribus, qui rei cujuſdam effigiem bellè repræſentant, inventorum titulos

jure tribuimus: quia, tametſi aliena imitentur, id tamen illitis tabulæ coloribus & marmoris figuratione præſtant, quod in rebus longè diverſis, vel à natura, vel ab arte alia effectum intuentur. Contrà pictori, qui è tabula effigiem aliena manu adumbratam tranſcribit, nomen inventoris minimè tribuimus, quia nempe rem ab eadem arte ac ſpecie factam eâdem imitatur. Pari ratione naturæ Poëſeos in ejusmodi verſatur inventione, quæ ſit imitatio verbis effecta rerum non ab eadem arte profectarum, & ſpeciei longè diverſiſſimæ à vocibus, quibus repræſententur. Porrò quadruplex harum imitationum claſſis eſt. Vel enim ficto eventu veros alios imitamur, ſed qui diverſa ratione acciderint: eáque *Fabulæ* provincia eſt. Vel in perſonarum introductione talem omnino ſpeciem illis circumponimus, qualē vel ſolent, vel certè hominum opinione debent præſeferre: idque ad *Ethos* ſive *Mores* pertinet. Vel res ita objicimus phantaſiæ, quaſi ante oculos ſtatuiſſemus; atque hic *Energiæ* labor eſt, quæ illas

illas in opere aliquo verſantes oſtendit, & *Enargiæ*, quæ clarè dilucidéque illas pingit exprimítque. Vel deniq; cùm ſermonem ejusmodi æmulamur, qualem turba ſibi fingit in eo, quem divina quædam vis occupaverit. Talem enim ſe Poëta fingit. Atque hæc eſt illa imitatio, quæ metro conficitur, eáque ſublimi & inſolenti dictione, quam Poëticam vocamus: nam & Harmonia, & Oratio hujusmodi, ut ſermonem inter homines audiri ſolitum, longè præcellit, à Dijs ſuggeſta vulgò credebatur. Quam rem innuit quidem Ariſtoteles, ſed judicio tam tenui, ut non tam oſtendere, quàm celare voluiſſe videri queat. Et hinc eſt, quòd Poëmata Muſicen amant, ut ſcilicet ipſa etiam vox, qua recitantur, inſolitum quidpiam habeat, atque divinum. Reticendum tamen hoc loco non eſt, quòd Poëſis Dramatica è contrario ſolutum ſermonem, quo vulgus utitur (hoc enim genus hominum in ſcena exhibet) carmine imitandum ſumpſerit. Atque ideo, (quod Ariſtoteles & Horatius notârunt) Jambicum

bicum carmen ſepoſuit ſibi, ceu proſæ Orationi propius, eáque propter fallendis Auditorum auribus aptius. Idem verò lectorum oculis ſubjectum (qui ſenſus acie præſtat auditui) imitationem ſubinde atque artificium prodit, & novam hinc parit oblectationem.

19. Quintam Imitationis formam non cenſui *ſententiam*, cui nihilominus inter Poëticæ partes locum Ariſtoteles fecit. Hujus enim imitatio pœnè omnis, vel ad *Mores*, ſi morata ſententia fuerit, vel ad *dictionem* revocatur, ſi morata non ſit. Quamvis certum quendam, peculiarémque imitationis modum etiam in ſententia invenire ſit, quam ea interdum arte conformamus, ut, tametſi reipſa verum non ſit, quod profertur, eſſe tamen populo videatur.

20. Equidem Ariſtoteles in Poëtica ſoli Fabulæ nomen Imitationis concedit, atque ideo Poëtam fabulâ potiùs, quàm verſu effici ait: quippe quòd Poëtæ munus in imitando verſetur: & res, quas imitatur, ſint actiones, quarum effigies fabula eſt. Hoc tamen ille de imi-

imitatione præcipua & principe dictum voluit. Neque propterea cæteræ partes Poëſeos allatæ ſuperiùs hoc titulo fraudandæ ſunt, ut demonſtratum à nobis fuit. (a) Quin idem Philoſophus alio loco non dubitavit, omnia planè nomina imitationem vocare, fortè quia nomina principio imponi conſuevêre, notata quadam eorum ſimilitudine cum rebus nominatis, ſive illa derivetur ab Etymologia (quo ſenſu ab eodem breves finitiones ſive deſcriptiones appellatæ ſunt) (b) vel certè à ſono: additque, vocem nobis, ceu aptiſſimum imitandi inſtrumentum, inditam fuiſſe.

21. Omnes hactenus recenſitæ imitationis formæ, tum in Epopæiam, tum in Drama conveniunt, quæ ob hanc cauſam inter abſolutiora Poëmata numerantur. *Fabula*, *Ethos*, *Repræſentatio*, in ſolutis quoque ſcriptionibus reperiuntur, quales ſunt Heliodori, & Achillis Tatij. Lyrica interdum omnes quatuor amplectitur modos; nam neque fabulæ moratæ impatiens eſt, quam in pluribus Odis

(a) 3. *Rhet. cap.* 1. (b) 4. *Metaph.*

Odis & Elegijs Græcis juxta & Latinis, inque cantionibus quibusdam Italicis reperies; ſæpius tamen duas tantùm complectitur, *Repræſentationem* ſcilicet ac *Dictionem*. Non rarò ultimâ ſolâ contenta eſt, quod in ſuccinctis lucubrationibus, puta in Epigrammatis atque Odis, conſuevit accidere. Etſi quando in his pedeſtris Oratio fuerit, nil aliud de imitatione retinent præterquam metrum; vel ſi quid inſuper habent, hoc illud peculiare genus imitationis eſt, quod *ſententiæ* quoque convenire ſuprà dicebamus.

22. His ita de natura Poëſeos conſtitutis, decidenda controverſia eſt, quam dudum propoſuimus: uter ſcilicet Poëtæ titulo dignior habendus, an, qui verſiis fundit citra fabulam; an, qui fabulas ſtruit citra verſum? Et quidem, ſi libuerit Poëſin à potiſſimo, quod habet, decore nuncupare, utique in hoc poſteriore magìs agnoſcenda erit. (a) Ariſtoteles enim aliique primos honores fabulæ deferunt. Atque huc ille reſpexit, cùm

(a) *In Poëtica.*

cùm diceret, inventione, non verſu, Poëtam ab Hiſtorico ſecerni: adeóque, ſi Herodoti Hiſtoriam verſu ſcripſeris, non ideo Poëma, ſed Hiſtoriam tantummodo fore. At verò ſi voluerimus nomina rebus pro ea proprietate tribuere, quæ ut eſt maximè obvia ſenſui, ac ſine mora ſe prodit, ita populum linguæ dominum advertere magìs ſolet; dicendum ſcilicet erit, minùs impropriè verſificatorem, quamvis nihil fingentem, Poëtæ titulo inſigniri. Verſus namq; res eſt ejusmodi, quam nullo negotio lectorum quilibet, utcunque ſit aliàs rudis, deprehendat. Atque ideo vulgari ſermone idem ſonat verſificator ac Poëta. (a) Eodémque ſenſu Ariſtoteles quoque locutus eſt, cùm Oratorem moneret, ut ſententiam ita numeroſam redderet, ut tamen evitet metrum, ne ſcilicet pro oratione Poëma conſtruat.

Atque hæc ſatis, quantum ab hoc opere noſtro expectari poterat, de natura Poëſeos: de admiratione quoque, quam illa parit, atque conſectatur: de voluptate, quam pro fine habet; de

(a) 3. *Rhet.c.*8.

utili-

utilitate, quam affert: de Imitatione, qua velut inſtrumento utitur: præterea quas illa res imitetur: & qualium lectorum ingenio deſerviat, & quibus id vijs, qua ratione modóque: quot item formas imitationum uſurpet: cujusmodi Poëmatibus hæc vel illa Imitationis ratio conveniat: quo pacto metrum quoque ac phraſis Poëtica, imitatio dicatur: & denique, utrùm ad naturam Poëſeos verſus requiratur, atque ſufficiat, dicta ſunto.

Caput

Caput XXXI.

Vtrùm ad docendum conducant Allegoriæ Poëticæ, ſeu reverà, ſeu ex mente Ariſtotelis: quomodo item Imitatio Poëtica, & ea, quæ Dialogi propria eſt, inter ſe diſcrepent, tum fine, tum medijs?

1. ID quod capite præcedente dictum eſt, cauſam manifeſtant, ob quam Imitatio cujuſcunque generis rebus immiſta, eas ad captandam animi attentionem aptas valentésque reddat, ac proinde inſtrumentum ſit maximè idoneum ad doctrinam cum voluptate inſtillandam. Illâ igitur Poëtæ in rem ſuam uſi, quemadmodum prolixè nuper demonſtravimus, delectârunt ſimul, erudiêrúntque genus humanum. Verùm omnis iſtorum doctrina, vel in notitijs admodum generalibus, & homini non planè rudi jam antehac perſpectis, vel illis certè non admodum pretioſis, & ferè ad argumenta tenuia & ſingularia coar-

coarctatis verſatur. Eámque illi ſic proferunt, ut nullo pondere rationum firment, adeóque lectorem vel in obſcuro, atque ambiguo, vel etiam in erroris periculo deſtituant.

2. Ac tametſi Poëſis non lenocinantis tantùm Pſaltriæ munus gerat, verùm etiam idoneæ Magiſtræ nomen promereatur; ſi tamen præcipuam ejus facultatem ſyncerè æſtimaverimus, inveniemus profectò, ad permovendum, quàm ad docendum longè aptiorem eſſe. Et quamvis ego malim in Græcæ Romanæque ſapientiæ Antiſtitum ſententiam concedere, à quibus divinum quidpiam Ilias habita ſemper fuit, quàm ut Alexandro Taſſovo ſubſcribam, à quo illa tantopere vapulavit: haud tamen inducor, ut credam, Poëma illud, quantum quantum eſt, pari ad erudiendum ingenium vi pollere, ſive in contemplatricibus, ſive in Ethicis diſciplinis, ac duo prima capita Metaphyſicæ, vel Ethicæ Ariſtotelicæ. Quod verò nonnulli è ſingulis verſibus ſexcenta, eáq; miriora miris myſteria conantur eruere, injuriâ quadam

fit

ſit illius Poëmatis, ſicut & injuriam facit falſorum decorum exaggerata laudatio, quaſi vera, quæ laudarentur, defuiſſent. Quod ſi tria verba dixiſſe, quæ vel ex longinquo, vel cortice tenus ad ſubjectam varijs diſciplinis materiem ſpectent, nullo interim documento interiori exhibito, ſatis eſt, ut volumine ſuo Encyclopædiam Poëta complexus eſſe dicatur, parùm profectò abeſt, quin celeberrimæ Iliadi exæquare laudibus debeamus paucos verſiculos ruſticanos, quos Romani populi fæx de quodam Cecco Antonio in trivijs decantat; quandoquidem & in his elegans ingenium Franciſci Bracciolini, qui venuſta quadam commentatione illos dignatus eſt, plurium illic, ac ſublimium planè diſciplinarum medullam ea ratione invenit.

3. Non ſum ignarus, eſſe complures, qui, ut in Homero, aliíſque ſolem hunc omnis ſapientiæ inveniant, ad Allegoriarum nubes confugiant, quæ, ut aiunt ipſi, oculis minùs acutis, vel parùm intentis eum abſcondunt. Neque hîc ego deſcen-

deſcendere in arenam velim, ut pro Ariſtarcho illo ſummæ apud veteres auctoritatis decertem, qui apud Euſtathium contendit, verſibus Homeri nullum planè Allegoricum in eſſe ſermonem. Certè Ariſtoteles in Poëticâ ſuâ nullam uſpiam Allegoriæ mentionem fecit. (a) Et quamvis non nemo arbitratus fuerit, eò ſpectare, quod is de ſopito Ulyſſe in Ithaca diſſerit; nihilominus communis interpretum opinio, & niſi fallor, propria vocum ſignificatio alium prorſus ab illo ſenſum ingerunt. Neque verò uſum pretiúmque Allegoriæ magnus ille Præceptor unâ tantùm voculâ, eâque ambiguâ perſtrinxiſſet, quo loco de arte Poëtica ex profeſſo philoſophabatur, ſi Allegoria, quod iſti contendunt, Poëmatum anima foret. Aliqui eò confugiunt, ut dicant, Poëticam Ariſtotelis primis duntaxat lineis adumbratam, paratámque potiùs operi ſylvam, quàm juſtum abſolutúmque opus eſſe. Sed minimè tutum hoc aſylum eſt. Quippe in exordio ipſo pro-

mittit

(a) *Tarq. Gallut. in Orat. de Allegor.*

mittit Ariſtoteles, ſe de natura, formis, atque de totius hujus diſciplinæ partibus acturum: ídque ſubinde conficit ſubtilitate maxima, etſi ordine non admodum concinno, nimíſque ſuccincta brevitate. Quod ſi ergo Ariſtoteles exiſtimâſſet, Allegoriam Poëſeos animam eſſe, credétne aliquis, ipſi librum quendam Epicureum ſcribere placuiſſe, qui ſoli corpori hujus artis intentus, animam oblivione neglexerit? Quin imò certiſſimum eſt, hanc ejus memoriam neutiquam ipſi excidiſſe, cùm apertis verbis dixerit, animam Poëmatis eſſe fabulam, cujus dotes deinceps ſedulò perſecutus, nuſquam in earum cenſu Allegoriam numerat. Verùm quid porrò de Ariſtotelis ſenſu ſuper Allegoriæ ad docendum aptitudine dubitamus? quando is tertio Metaphyſicæ, cùm verba faceret de antiquis illis ſcriptoribus, qui Allegoricis umbris philoſophicas, quas tradebant, diſciplinas involuebant, diſſerit in hunc modum. (a) *Heſiodo quidem, cunctíſque Theologis id ſolùm*

O *curæ*

(a) *Apud Fonſec. c, 2, tex. 28.*

curæ fuit, ut ſibi probabilia dicerent: nos autem neglexerunt. Cùm Deos principia faciant, ex Dijs orta ea, quæ nectar & Ambroſiam non deguſtárunt, mortalia facta eſſe dicunt. Perſpicuum eſt autem eos, dum hæc nomina ſibi nota uſurpant, in ipſa etiam harum cauſarum traditione ſupra vires noſtras dixiſſe. Ita ille. Quod ſi autem Allegoricus ejusmodi ſermo Ariſtotelis ingenium ſuperabat, idoneúmne reputabimus gregarijs diſcentium ingenijs erudiendis?

4. Quare fatendum omnino eſt, præcipuum Poëſeos, fabulas tenentis, ſcopum non eſſe doctrinam, quæ ex Allegoricorum myſteriorum intellectu eluceſcat. Debet enim omnis ars conſequendo fini ſuo quàm aptiſſimam viam eligere, qualis profectò ad ſcientiam adipiſcendam non eſt Allegoria. Quod ſi autem aliquis eſt, cui pro hac re ſtabilienda non ſufficiant momenta rationum à nobis expenſa, illum ego, ut litem omnem præſcindam, ad tribunal provoco univerſitatis litteratæ. Sit ea ſimul judex & teſtis, quippe haud ignara,

ra, quàm parùm in diſciplinis ductu Allegoriarum Poëticis fabulis involutarum profecerit.

5. Aliam verò longè proficientiorem rationem jungendæ cum Imitatione doctrinæ repererunt alij, nempe Dialogi compoſitionem. Hanc Plato ubique, ac honeſtiſſimè quidem, uſurpavit: nec omiſit penitus Ariſtoteles, (a) ſi clariſſimis ſcriptoribus habenda fides eſt: Xenophonti dein ſecundi honores inter Græcos, quos legimus, tertij Luciano tribuuntur. Eandem Cicero tenuit Romæ, & hac arte ſapientiam eloquentiæ gemmis exornatam in admirabili luce collocavit, nec minorem in Academia famam, quàm in foro, ſibi comparavit. Inter Eccleſiæ verò Patres, præter Græcos, Auguſtinus, Gregorius M. Anſelmus, aliique, qui vitæ ſanctimoniam ſapientiâ exæquârunt, hunc ſcribendi morem ſecuti ſunt. Neque Italicus ſermo ſegniùs eum adamavit: etenim Cardinalis Bembus, Speronus Speronius, Cæſar Bargaglius, aliique ſanè quàm plurimi,

(a) *Taſſ. in Diſſert. de Arte & Dialogo.*

mi, ſed præcipuè Torquatus Taſſus exemplo ſuo demonſtrârunt, quàm idoneus ſit Dialogus nobiliſſimis quibusque diſciplinis pertractandis.

6. Ut autem ars utilitásque ſcriptionis hujus intelligatur, animadvertendum eſt, actiones humanas, quarum imitatrix Poëſis eſt, in verba diſtribui & facta. Hæc quidem Ethopœia præcipuè ac Dramatica imitantur, id quod ipſa earum appellatio planum facit. Nihilominus in utraque ea forma Poëmatis, ac maximè in Dramatica, verba quoque exprimuntur imitatione; idque duobus modis. Aliquando, quà verba tendunt ad factorum repræſentationem: atque hæc eſſe verborum imitatio ſolet, quam ſcena exhibet, quippe quæ nihil, aut perparum exponere nobis de agentium perſonarum factis poſſit, niſi verborum imitatione in ſocietatem adſcita. Aliquando etiam Poëta imitatur ipſa per ſe verba, ut adjuncta principali actioni, quam repræſentat, & magìs, ut internas animi affectiones hiſce ſignis exprimat, quàm ut quidpiam enarret. Hæc autem

omnis imitandi ratio naturâ ſuâ non eſt ad tradendam doctrinam comparata, ſed ſummùm docet exemplo.

7. Aliud genus imitationis ex munere ſuo non facta repræſentat, niſi raro & ſecundariâ tantùm operâ, ſed planè verba; & ea quidem non ut affectum, ſed ut ſententiarum interpretes ſunt. Quo modo Ariſtoteles aliàs à nobis laudatus, inter ſermonem enunciantem, quem à Philoſopho expectamus, & patheticum, ſive optantem, qui vel Poëtæ vel Oratoris eſt, diſcrimen ſtatuit. Atque iſta nimirum imitatio Dialogi dos eſt, ideóque apti ad transferendam in alios doctrinam, ſicut & idonea ſunt verba, quæ is animo proponit.

8. Viſus in Poëtica Ariſtoteles fuit, nullo, niſi materiali (quod aiunt) diſcrimine geminos hos imitandi verba modos, noſtro quidem judicio diſtinctos, ſecreviſſe. Non enim aliam ob cauſam diſſertationibus Socratis, hoc eſt, Platonis Dialogis, nomen Poëmatis abrogavit, quàm quòd ſoluta eſſent oratione compoſitæ. Verùm hoc ille

ideo fortaſſis pronunciavit, quia ſcriptoris illius Dialogi adeò inſolens ac ſublimis character eſt, ut à multis teſte Tullio, in Poëmatum numero habiti fuerint. Qui etiam de illorum dictione Quintiliani ſenſus fuit. Præterquam quòd ſæpe iis ne fabula quidem, eáque mirabilis deſit. Quæ res dubium reliquit, utrùm doctrina vel voluptas proximus illius ſcriptoris finis extiterit. Cæterùm (quidquid contrà Speronus in doctiſſima Dialogi Apologia diſputârit) Imitatio docentis Dialogi duabus de cauſis ab Imitatione Poëmati propriâ diſtinguitur, & quidem non materiæ ſolùm, ſed ipſius etiam formæ diverſitate.

9. Altera eſt, quia, dum Dialogum teximus, pars maxima laboris atque induſtriæ in ipſius veritatis, atque rationum, quibus ea comprobetur, inventione conſumitur. His enim inventis, non alia porrò difficultas reſtat, ut illa exponamus ſermone, qualis amicorum, & eruditorum eſſe ſolet, quàm quæ vel Epiſtolas, vel hiſtoriam, vel quamcunque

que proſam Orationem dictanti pariter relicta eſt. Nam & his omnibus quædam Imitationis mixtura continetur: neque tamen illæ inter diſciplinas imitatrices perinde ac Poëſis numerantur, quia nempe artium omnium nuncupatio à præcipuo, difficillimóque opere ſumi conſuevit. At verò imitatio illa mirabilis, quam Poëtæ Dramati adhibent, in eo ſita eſt, ut verba reperiantur, vel uſitata, vel convenientia varijs hominum claſſibus, qui argumenta civilia pertractent, animóſque permoveant. Id quod difficultatem ſingularem habet; ideóque peculiarem in inventione mirabilitatem.

10. Poſterior ratio petitur à fine, qui longè diverſus eſt in Dialogo, atque Poëmate. Quippe Dialogus ad doctrinam collineat, velut ad ſcopum primarium. Neque plus aſpergit voluptatis, quàm quod ſatis ſit tenendo animo ad doctrinam intento, & doctrinæ ipſi altiùs in memoria defigendæ: ſeu, ut breviſſimè dicam, pariendæ vel augendæ ſcientiæ. Atque ideo formam do-

cendi minùs quidem jucundam ſenſu, ſed uberiorem doctrinâ præponit illi, ex qua major voluptatis, quàm eruditionis proventus exiſtat. Contrà verò primum Poëtæ votum eſt voluptas, iſque docet, ut delectet, non delectat, ut doceat. Quamobrem eam imitationem, eóſque dicendi modos uſurpat, qui plus afferant voluptatis, etſi minùs doctrinæ, relictis ijs, quibus plus dicitur, quàm gaudeatur.

Et hactenus ſuffecerit, philoſophatum fuiſſe de Imitatione, ut ea Dialogi eſt propria, differtque ab illa, quam ſibi vindicat Poëma. Deinceps videndum erit, quibus, & quot modis ea Dialogo conveniat.

Caput XXXII.

Natura Dialogi exquiritur: & utrùm illa ſcenam expoſcat.

1. IMitatio, quæ Dialogi propria eſt, pluribus modis conficitur. Jam enim author narrationem pertexit dictorum, reſponſorúmve: jam ut tædio conſulat, quod ex repetitis toties vocibus: *hic aiebat, alter contrà repoſuit*, naſciturum, prævidêre Plato & Tullius, (a) varias perſonas, more Dramatis, deducit in colloquium, ſive narrata priùs ab Auctore collocutionis origine, ſive abſque ullo Procemio. Neque verò poſterior hæc ratio, quam præ reliquis Plato adamavit, ſuâ naturâ ſcenam poſtulat, id quod arbitratus olim fuerat vir oppidò eruditus, (b) hinc depromens argumenta, quibus eam inceſſeret. Tragœdia quidem, & Comœdia, quia factorum imitationes ſunt, ſcenâ egent, & theatro: veriſſimum enim eſt illud Horatij: (c)

 Se-

(a) Plato in Parmen. Cicero de amicitiâ.
(b) Caſtelvet, in Poëtica. (c) De arte Poët.

Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Itaque rerum, quæ illis Poëmatibus exprimuntur, ut vivida ſit imitatio, præter verba, perſonam quoque habitum geſtúmque agentium poſcit. Quæ quidem res ſunt ejusmodi, ut, niſi remoto ſpario, exponi ſpectatoribus nequeant. Verùm Dialogus, cujus primarium negotium eſt, ſola verba repræſentare, atque hæc ut plurimùm non à comotione animi, ſed à ratione profecta, veluti expoſuimus, nihil theatro habet opus, eò quòd verba, quantùm ſatis eſt, ſcriptione animo ſubjiciantur, vel ad ſummum voce, qua deſcripta colloquia non incommodè prælegantur.

2. Verùm quemadmodum Dramatice præter actionem, quam præcipuè imitatur, & ob oculos ponit in ſcena, quosdam etiam eventus alios, velut ex obliquo, innuit, ſic tamen, ut eos imitatione minùs vivida, narrando tantùm, non repræ-

repræſentando auribus, non oculis exponat, vel quia ſic decet, vel quia neceſſe eſt: ita ferè contingit, directam illam imitationem, qua Dialogus aliena verba æmulatur, obliquâ etiam geſtuum, actionum, affectuum, quos colloquentibus induit, aliquo pacto animari. Id in Dialogis M. Tullij, præcipuè in ijs, quos de arte Oratoria, & de legibus conſcripſit, ſed multò maximè (veluti jam ſuprà notavimus) in Dialogis Platonis elucеſcit. Iſtos enim, ut dictio ſupra communem Proſam longè attollit, ita pariter Poëſi proximos inventio admovet: quo fit, ut lector ſe non audire tantùm, ſed etiam coràm intueri omnia arbitretur.

3. Et quanquam talis imitatio factorum haud paulò languidior ſit, quàm ſi produceretur in theatrum, id tamen vitio vertendum haud eſt. Cùm enim iſta non ſit præcipua imitatio, quam Concinnator Dialogi pro fine ſibi ſtatuerit, ſed adornandæ verborum imitationi (ea namque Dialogi finis eſt) famulam operam præſtet, tantus ei, neque major

tribuendus eſt vigor, quantus ancillæ conveniat, nempe qui nullo principis imitationis incommodo ſit conjunctus. Atqui profectò difficile foret, plenúmque moleſtiæ, prolixos illos atque de difficillimis ſermones producere in theatrum. Itaque factorum potiùs imitatio (quæ Dialogo miſcetur) minùs vivida ſit, quàm verborum moleſta.

4. Quid autem ſuper hoc litigamus, quando ipſam etiam Tragœdiam, quæ tamen id agit, ut repræſentatione commoveat, non erudiat ratiocinatione? Ariſtoteles ſic componendum eſſe judicavit, ut remoto quoque ſpectaculo vim retineat ſuam, in miſerationem, (a) terrorémque animos rapiendi: & non viſa tantùm, ſed lecta quoque pulchritudinem ſuam oſtendat. Ac propterea negat is, vel in hac parte quicquam Epico Poëmati Tragœdiam concedere, quaſi ſcenâ & Hiſtrionibus indigeret. Et utique plurimùm refert, Tragœdiam lectorum potiùs, quàm ſpectatorum volupta-

(a) *In Poëtica circa medium, & iterum circa finem.*

luptati parare; ſæpius namque legitur, rarò recitatur. Cujus rei confirmationem habemus in recenti quodam celeberrimóque apud Italos Dramate, quod ob prolixitatem ſuam, & frequentata ſoliloquia non ſine inſigni audientium tædio recitatur, idémque nihilominus, quia jucundiſſimum lectu eſt, (tum enim ob interpoſitas pro libitu moras, aliáſque cauſas vel vitatur omnino moleſtia, vel magnopere lenitur) Principis inter theatralia Poëmata laudem, ac formam ſibi comparavit.

Caput XXXIII.

Diluitur prima objectio, quæ ſic deſcripta colloquia, ceu minùs ſimilia vero, condemnat.

1. HOc genus ſcriptionum primò de fictione, ceu nimis diſſimili vero poſtulatur; fidem enim ſuperare aiunt, quod Author, maximè poſt plurium annorum decurſum, omnia illa verba memori animo teneat, quæ colloquentes ab ipſo deſcripti, ultrò citróque miſcuerunt. Hæc objurgatio longè validiùs impetit conciones Hiſtoricorum, quorum ſcripta non ſoli ſimilitudini veritatis, ſed ipſi planè veritati obligantur. Et quamvis pro illorum cauſa Maſcardus multa congeſſerit, ea tamen parum roboris habent, (a) niſi quando Hiſtoricus veram, numeríſque omnibus abſolutam cognitionem habuerit earum ſententiarum, quas dixere illi, quorum ore verba facit. Tum enim

(a) *De arte Hiſt. Tr. 2. c. 4.*

enim nobis jure optimo pronunciare licet, ipſum non peccare infideli narratione, ſi verborum, quibus illi uſi fuerunt, non numerum, ſed pondus lectori repræſentet.

2. Quod ſubinde ad Dialogum, & univerſum omnino fictionis genus ſpectat, ſub argumento illo contrario inſignis quædam fraus latet. Aliud quippe eſt, narrationem veroſimilem eſſe: aliud accipi pro vera. Haberi pro vera nihil neceſſum eſt, ut aliàs demonſtravimus. Quin ubi hoc contigerit, omnis profectò ejus, qui Dialogum concinnavit, aut Poëma, laus & commendatio interiret. Nihil enim illos de ingenio ſuo contuliſſe lectores exiſtimarent, ſed alterum velut amanuenſem exceptorémve alieni ſermonis: alterum, ut ſterilem narratorem intellectorum aliunde eventuum, aſpernarentur. At verò neceſſarium eſt, ut pro veroſimili accipiatur narratio. Id verò Auctor Dialogi obtinet nihilominus, etſi lectorum fidem excedat, prolixos aliorum ſermones ita planè ad verbum addiſci potuiſſe. Nam hoc quidem

ele-

elevaret ejus auctoritatem, ſi credi ſibi omnino vellet, cuncta ſic, ut ipſe narrat, revera eveniſſe. At nihil obeſt, quo minùs opus ipſius ſit narratio colloquij planè illis ſimillimi, quæ contingere nonnunquam reipſa ſolent. Ita etiam Pictor curare debet, ut faciem effigiet ſimilem veræ, non autem, quæ vera omnino exiſtimetur; quidquid argutentur interdum, exaggeréntque Poëtæ, cùm pictori ceu ſupremam gloriam id tribuunt, quod non ſolùm fieri nequit, verùm etiam, ſi fieret, dedecori foret artifici. Quia tamen ejuſmodi laudatio apud turbam ſeu ſummus omnium encomiorum apex habetur, idcirco illam Poëtæ adhibent. Dixi, hoc tale à Pictore perfectum opus omni laude cariturum: quoniam ſi depicta facies ab omnibus ſemper pro vera reputaretur, non ſolùm obſcurus lateret Apelles, nullúmque adeò gloriæ fructum ex opere ſuo perciperet: verùm nec opus ipſum eam conſequeretur utilitatem, cujus gratiâ primùm inventa fuit ars pingendi. Hæc enim inventa fuit, ut prodeſſet, exhi-

exhibitis, colorum ope, veluti præſentibus ijs rebus, quas vel tempus, vel locus à nobis removerit: non autem, ut detrimento eſſet, offundendo duraturum errorem, quo præſens credatur, quem vel locorum ſpatia, vel fata ipſa procul à nobis abſtraxerunt.

Caput XXXIV.

Secunda objectio contra Dialogum; quòd eo nulli eventus memoriâ digni comprehendantur.

1. SEcundùm hæc & illud Amœbeæ ſcriptioni opponitur, nullam eâ memorabilium ſucceſſuum deſcriptionem contineri, quos tamen ſolos litterarum & famę præſidio commendare oporteat. Verùm poſt ea, quæ diximus, promptum eſt reſpondere. Quippe Dialogi finis primarius non eſt, recenſere facta, ſed dicta. Hæc ſi quando indignæ memoriæ fuerint, tum ſanè dignus erit objurgatione Dialogus. Non autem diffiteor, quòd ad conciliandam

illis

illis dictis gratiam, eáque altiùs & elaboratiore ſigillo imprimenda memoriæ, quorundam etiam factorũ narratio attexatur, quæ alioquin privatam memorationem minimè pomererentur. Hæc ipſa tamen ingenioſis illis diſſertationibus conjuncta, etiam à delicatiſſimæ gulæ ingenijs ſapidiùs leguntur, quàm multarum urbium expugnationes, & enarratæ ab Hiſtoricis clades exercituum. Nec enim, quidquid ſe ſolo non delectat, id etiam continuò ineptum eſt ad eam, qua res aliæ pollent, vim delectandi exacuendam. Absque hoc enim foret, proſcribere ab epulis ſalem oporteret; quo ſolo in os ingeſto nihil eſt ingratius: nihil tamen perinde neceſſarium alijs dapibus condiendis, ut adeò jam pervulgatâ metaphorâ pro eodem capiatur deſtitui gratiâ, qua cupiditates noſtræ alliciuntur, ac inſulſum eſſe, hoc eſt ſale carere.

2. Imò ea ratione, qua Dialogus quædam facta, tametſi per ſe non admodum memorabilia, ſermoni tamen memorando adjuncta, cum voluptate lectorum

rum recenſet, Hiſtoria viciſſim dictorum quorundam narratione lectores recreat, quorum tamen niſi memorabilium facinorum, quæ præcipuè proſequitur, partes quædam fuiſſent, honeſtè meminiſſe non poterat. Ejusmodi eſt, Ferdinandum Regem Neapolitanum, cùm à Carolo VIII. repentina impreſſione occupatus, pulsúsque eſſet, & è navi regiam, quam relinquebat, reſpectaret, (a) triſtiſſimam illam è Pſalmo ſententiam ingeminaſſe: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Quapropter ea facta, quæ Dialogus recenſet, licèt ſola, & ſeorſim ſpectata, pretium narrationis meritura non eſſent, attamen ut colloquiorum, quæ referuntur, additamenta & anſæ quodammodo talem eis lepôrem ac gratiam conciliant, qualis ab exiguis illis & veroſimilibus adjunctis, eandem ob cauſam, Poëmati conciliatur. Quàm autem hoc verum ſit, ſua cuique experientia teſtis eſt, ſive cùm legit Eunuchum Protagoræ janitorem, (b) continui

(a) *Guicciardinus ſub finem l.* 1. (b) *In Protag.*

tinui ſtrepitûs pertæſum, quo commeans turba Sophiſtarum eam domum infeſtam habebat, toto lacertorum robore conniſum, ut Socrati, ejúsque ſocijs, quos ſcilicet ejusdem farinæ homines credebat, ante oculos oſtiùm adduceret, hero ſuo id temporis non vacare cauſſatum, quódque non antè admiſerit in veſtibulum, quàm didiciſſet, eos de illa hominum tribu non eſſe: ſive cùm Tullium Bruto comitatum & Attico, (a) ad ſtatuam Platonis in ſeceſſu Rhodiano conſidentem audit, extincta lumina Græcæ Romanæque eloquentiæ ad celebritatem famæ ac ſecundam veluti vitam excitare: aliàs verò cum fratre, eodémque Attico propter ſylvulam, quercúmque Arpinatem, monumenta Marij, Romuli, Numæ, celebrium mendaciorum involucris implicita venuſtè retegentem, ut aditum præſtrueret altiſſimæ illi Philoſophiæ ſuper diverſitate legum, quarum alias homines chartis conſignavêre, alias natura pectoribus noſtris inſcripſit. Eundem inter-

(a) *In Bruto.*

interdum in Fibreni Inſula occaſionem captare, delicias nobis indulgentiâ naturæ conceſſas, ijs voluptatibus anteferendi, quas ipſi luxu nimio ſuperinduximus: ſimúlque poſterorum memoriæ patriam originémque ſuam, & cariſſimi Catonis ſui transmittendi, ac ſubinde ad umbram, atque in thoro, quem veluti ſtudioſè patrij fluminis ripa ſubſtraverat, cœptum ſermonem proſequentem.

3. Quodſi viventium encomia, quos arcta neceſſitudo conjunxit Authori, invidioſa non eſſent: neque illum in ſuſpicionem vocarent, tanquam non alienæ virtutis remuneratorem, ſed ſtudijs ſuis atque amoribus obſequentem; demonſtrarem profectò in Latinis Dialogis (a) cujusdam Neoterici ſcriptoris, uberiùs forte, quàm in antiquis illis, certè ſucceſſu admodum felici, artem hanc exercitam fuiſſe, qua verba veluti ob oculos ponuntur, vivida venuſtiſſimorum factorum narratione. Quæ res, quantopere in memoriæ utilitatem cedat

(a) *Fam. Strada in Prol*ſ*.*

dat (ut nihil jam dicam de voluptate) nôrunt ij, qui memoriam, quam *Localem* vocant, familiarem habent. Hi namque orationes bene longas animo ſuo celeriter commendant, non alia magis ope adjuti, quàm quòd auditas voces per intervalla certis rebus oculo ſubjectis affigant, quæ ſubinde fidelis inſtar palimpſeſti eorum reminiſcentiæ ſubſerviunt. Ad extremum magni ponderis eſt illa apud Ariſtotelem ſententia; oculos noſtros cæteris ſenſibus cariores nobis eſſe, quòd ab illis plus, quàm à reliquis omnibus diſcamus.

Caput XXXV.

Tertia accuſatio: quòd Dialogus obſcurè ac malignè doctrinam exhibeat.

1. TErtio loco contra laudatum ſcriptionis genus per mutua colloquia ductæ, afferri ſolet, quòd ab ea ſyncerus doctrinæ ſuccus malignè admodum propinetur, cùm ejuſmodi elucubrationes in eo plurimùm occupentur, ut multis ultrò citróque rationibus quadam eloquentiæ pompa in utriusque partis favorem productis integram veluti litem, nullâ judicis ſententiâ diremptam, relinquant in medio. Verùm hæc criminatio arti vitio vertit, quod aliquando ab artifice proficiſcitur, & in totum hoc ſcriptionis genus confert, quod fortè ad unam vel alteram ejus ſpeciem pertinet. Non equidem negârim, reperiri Dialogos quosdam, qui dubium relinquant lectori, quam in partem auctor concedat. Atque

id

id nonnunquam injuria quadam artis, atque ingratijs accidit: interdum etiam ſtudio atque conſilio, cùm ſcilicet auctor aliud non agit, quàm ut erudito lectori proponat, quæcunque in tabulario mentis, atque ipſius naturæ, pro utraque parte annotata fuêre, quo id deinceps nullo aliorum ſuffragio præoccupatus cum animo ſuo ſtatuat, quam velit ferre ſententiam. Atque hoc conſilio quosdam ſuorum Dialogorum Tullius ſcripſit. (a) Denique Dialogorum ejusmodi non alius interdum eſt finis, quàm pervulgatorum argumentorum, infirmitatem, & obſcuritatem problematum oſtendiſſe, quæ tamen vulgò tanquam ſole meridiano clariora habebantur; ut ita in lectoribus curioſitas, aviditásque ſubtiliùs iſta contemplandi accenderetur. Atque in hoc ultimum plures, niſi fallor, ex ſuis Plato direxit.

2. Omnes has Dialogorum formas extra dubium eſt, in docendo deficere. At eadem librorum ac mercium conditio

(a) *De natura Deorum in princip.*

tio eſt: quæ non ideo convehuntur ad nundinas, ut omnes omnis generis hominum utilitati deſerviant. Certum porrò eſt, quosdam lectores ex hoc genere ſcriptionum plus non voluptatis modò, verùm etiam profectûs capere, eos ſcilicet, quos in his rebus arbitri magis partes, quàm diſcipuli agere juvat. Quædam prætérea opiniones adeò inimica turbę ingenia experiuntur, ut, ſi regnantium inſtar ac triumphantium continuò ſibi aditum depoſcerent, certò certiùs ab ingreſſu arcerentur, imò etiam à pomœrijs auditûs, ceu præfidentes ac temerariæ, ſubmoverentur, ut ne gradum quidem propiùs ferre poſſent. Quare ad ingeniũ ea Tyrannide liberandum, quam falſa quæpiam perſuaſio invaſit, ſatius eſt, contrarias ſententias principio modeſtè, ac veluti privatæ fortis advenas, prætentare aditus: donec agnitis earum promeritis à Ratione ſponte vocentur ad regnum.

5. Negari tamen haud debet, Dialogum naturâ ſuâ capacem eſſe perfectæ formæ docendi. Id enim in pluribus

Dialogis Platonis, Tullij quoque de Oratore, ac D. Auguſtini contra ſui temporis Hæreticos, Bembi ſuper Italica lingua, Bargaglij de Theſſeris ſive ſtemmatibus, nec non in quibusdam eorum, quos Taſſus vulgavit, maximè verò in primo atque altero de nobilitate, quos *Furnum* inſcripſit, abunde præſtitum videmus: quoniam in his opinio ſcriptoris, & rationum momenta clarè relucent. Verùm ipſis quoque ſcriptionum generibus contingit interdum id, quod artificibus uſuvenit, qui ſi quando opus quoddam elaboraſſe conſpecti fuerint, facilè creduntur alterius operis artem ignorare: quaſi nec idem homo pluribus operibus, nec idem opus pluribus formis eſſe idonea poſſint. Quod ſanè cujusdam animis hominum innatæ inviдiæ videtur eſſe, de facultate aliorum, & de inventis humiliter ſentientis.

Ca-

Caput XXXVI.

Vltima objectio: Prolixitas & diſpendium temporis.

1. Q Ulidam denique hanc docendi rationem velut abutentem tempore, atque otij ream agunt. Multum, inquiunt, in Prooemio dilapidatur, in præparandis ambagibus multum, per quas collocuturi in ſemitam deſtinatæ quæſtionis immittantur: & ſubinde non minus abſumitur in officijs verborum, in argutijs & ſalibus: jam in Epiſodijs quantum, quæ ſe ſe perpetuò interjungunt? ſicut arbor multis quidem folijs floribúſque luxurians, aſſurgat ad ingentem umbram, odorémque latè ſpargendum, ſed paucis admodum fructibus gravis, in alimentum ceſſuris & lucrum.

2. Recitatæ jam nunc querelæ attentam à nobis & accuratam diſquiſitionem exigunt ejus modi, quo à natura & nutrimur, & docemur. Quàm exigua,

rogo, pars illa cibi eſt, quæ in noſtram ſubſtantiam vertitur, quæque continuæ illius mortis, à qua in ſingula momenta carpimur, damna ſarcit? Quid igitur profuerit tantũ inutilis ponderis ingerere, vel eliquandi in ſudorem, vel per alias vias ejiciendi cum nauſea atq; moleſtia? Neque hæc ſolius alimoniæ ſors eſt. Semen illud frumenti, quod glebæ in ſpem frugis committitur, in quam exiguam ſui particulam, aut atomum potiùs, fœcunditatem ſuam omnem contraxit? Aiunt ex octingentis & viginti partibus unicam eſſe, quæ in ſpicam pullulet, quidquid ſupereſt, ſterilitate damnari: ſic ut formicæ à natura edoctæ minimam illam particulam extemplo arrodant, eâm ſublevandæ per hyemem fami frumentum in promptuarijs ſuis reponunt. Quæ induſtria certas ipſas reddit, nunquam id actis radicibus corrumpendum.

3. His auxilijs à natura creantur, aluntúrque viventia. Jam videamus, quo pacto ab eadem erudiamur. Quàm ſegnes, quàm pertæſos laboris ſenſus noſtros,

ſtros, quà internos, quà externos natura formavit! ſanè in breviſſimæ attentionis mercedem exigunt quietem multò longiorem. Oculis ingrati colores ſunt nullâ umbrarum mixturâ temperati; umbræ verò aliud re ipſa non ſunt, quàm particulæ quædam vel nullatenus, vel vix aſpectabiles. Auditus quoque ſonum interpellari moris ſive pauſis, hoc eſt, ſilentio petit, quod illum objectâ ſibi materiâ privat. Præterea quot rimis, ut ita dicam, perfoſſa eſt memoria noſtra, per quas undecunque effluit etiam modicum illud, quod in ea ſenſus depoſuêre! Et ſi accuratè ſubducere calculos voluerimus, cùm innumera planè ſint ſenſa, quæ ab oculis, & à tactu potiſſimùm ſingulis momentis in animum noſtrum invehuntur, inveniemus profectò, è ſingulis eorum myriadibus vix unum aliquod hærere memoriæ, cujus auxilio intelligentia juvetur ad ſcientiam adipiſcendam. Cui bono igitur, tum in formando, tum in nutriendo corpore animóque tanta materies inſumitur, tam exiguum factura proventum?

4. Sed enim non inutilis prorſus illa cibi potúsque portio, qua non nutrimur: nec illa pars ſeminis, quæ non pullulat, infructuoſa eſt. Quippe ſine iſtis nec pars illa nutriens ſervaretur, tranſmitteretur, diſtribueretúrque eo modo, qui ad animalis nutricationem exigitur: ſed neque fœcunda illa pars defenderetur, foveretúrque, ut agere radices poſſet. Ad eundem modum neutiquam ſupervacaneæ ſunt illæ moræ interjectæ vocibus, aut umbræ coloribus intermixtæ, quin illæ aurium, atque iſtæ oculorum bono plurimùm conducunt. Absq; his enim foret, nec locorum ſitus, nec varietatem colorum, neq; ſonorum diverſitatem, maximéque vocum, ſenſus noſtri ſecernerent, quemadmodum neceſſe eſt, cùm ad doctrinam, tum ad commercium. Sed neque in caſſum tot res à ſenſibus noſtris perceptæ ſunt, quarum ſubinde memoria interijt: in hoc enim valuêre, ut nos exercitatos tenerent inſtructis ſufficienti ſpirituum commeatu inſtrumentis ſentiendi. Ex alia verò parte per infirmitatem eorum

ictuum,

ictuum, quibus res illæ ignobiles animum pulsârunt, opportunè parcitum fuit faciendis in ſingulas ſpirituum impenſis, ut ſcilicet apparatus ſufficiens relinqueretur, magnam eorum vim in res alias impendendi, quarum effigiem altè oportebat in memoriam demitti.

5. Atque ut è proximo arceſſamus exempla, nunquid uſu compertum habemus, quòd, ſicut malè valetudini conſulit, qui ea ſolùm adhibet in cibum, quæ ignis eliquavit in paucas ſtillas (quintas eſſentias vocant) ita non ſatis ad votum per compendia ſola, & ſummos Diſciplinarum in ſtudijs progreſſus fiant? ſive quis peritiam hiſtoriarum, ſive ſapientiæ doctrinam quæſierit, ſi ſolos illos libros perlegat, in quibus id tantùm, quod juvet meminiſſe, nec amplius perſcriptum ſit, is ſanè meminerit nihil. Societas ex rerum minùs illuſtrium, minúsque neceſſariarum, quæque idcirco à nobis incurioſiùs transmittuntur, ingenium interpoſitâ morâ recreat, efficítque, ut poſſit, velítque attenta cum alacritate auſcultare vel eventum ali-

quem, vel documentum, quod nonnunquam ſupra minutæ plebis, quæ circumfunditur, ſtatum aſſurgit. Et ſanè brevitatem potiore jure in Orationibus deſideres, quæ, cùm nullâ interpoſitâ morâ recitentur; ſi tendantur in longum, non habent, quo redimant auditorum faſtidia, quàm ut exigere illam in ſcriptionibus poſſis, quippe quæ deponi & abrumpi poſſunt, quoties lectori placuerit interquieſcere. Et tamen in ipſis quoque Orationibus acriter reprehendi legimus brevitatem, etiam ab illis, quos alioquin genius ſuus non admodum amicos ſtylo longiori reddiderat. Plinius enim junior hac ſuper re ad Cornelium Tacitum dignam lectu Epiſtolam ſcribit; ubi celeberrimorum Latij, Græciæque Oratorum exemplis brevitatem in crimen vocat: quin imò, ſi vel deficiendum, vel excedendum neceſſariò foret, minus hoc, quàm illud dignum eſſe reprehenſione demonſtrat. *Relinquere aculeum*, inquit, *in audientium animis is demum poteſt, qui non pungit, ſed infigit. Vtque corpori ferrum,*

ſic

ſic ratio animo non ictu magis, quàm morâ imprimitur. Cui Paradigmati addamus, ſi placet, quòd ſicut breviſſimus tantùm mucro in pectus inimici deſcendit, neque tamen ideo reliqua pars chalybis capulo propior ſupervacanea eſt, cujus nimirum ope deſtituta cuſpis vim penetrandi non haberet: ita quamvis unica tantùm pars ſcriptionis debeat animo infigi, non ideo tamen cæteræ otio marcere cenſendæ ſunt; namque ad eandem ſtabiliendam validiùs, conſtantiúsque firmandam vim atque operam conferunt.

6. Quantò major temporis mora conſumitur, cùm ad ludum litterarium itamus, vocésque Magiſtrorum excipimus, quàm ſi eadem per otium domi noſtræ legeremus è libro? At nihilominus experientiâ conſtat, eas impenſas lucro copiosè penſari. Ille namque verborum ſonus auditus, vultus, & actio loquentis conſpecta, totidem ictus ſunt, quibus ceu malleo ſigilla, ſive imagines rerum, quæ traduntur, in animos diſcipulorum altiſſimè adiguntur. Par efficacitas eſt

Dialogi, quatenus ob easdem illas actiones, quas ejus reprehenſores jacturam temporis appellant, ſimilem vigorem nanciſcitur. Fatebor equidem, peccari noñunquam quà Procemiorum prolixitate, quà digreſſionum frequentiâ. Verùm nullum eſt omnino ſcriptionis genus, cui labem affricare non queat ſcribentis vitium. Sanè pepones, fructus adeò teneri, ac ſuaves, ſi quando glebæ vitio degenerant, minùs palato arrident, quàm cucumeres atque cucurbitæ.

Caput

Caput XXXVII.

Duplex præſtantia, quam præcipuam habet doctrinæ traditio per Dialogum.

1. CUm nuper à nobis Dialogus defenderetur, idem fuit etiam commendandus, demonſtrando videlicet, ea ipſa ejus decora eſſe, quorum nomine vocatus in crimen fuerat. Superſunt nihilominus aliæ quædam ejus dotes protrahendæ in lucem, quibus illecti fuimus, ut hoc potiſſimùm genere Diſciplinas Ethicas traderemus. Qua in re ſuccinctiùs aliquantò philoſophabimur, omiſſis pluribus, quæ fortaſſe lector in laudata illa Speronij Apologia jam conſpexerit.

2. Primum horum decorum eſt, quòd, dum ejuſmodi colloquia inter ætatis noſtræ litteratos homines fingimus, atque horum dotes, conditionémve (uti fieri ſolet) antè deſcribimus, latiſſimus campus aperiatur honorandæ memo-

riæ illorum, qui nuper fato functi ſæculum noſtrum eruditione ſua illuſtrârunt: ac illorum præcipuè, qui, ſive quòd ſcripta ſua (quæ illorum modeſtia erat) publicæ lucis honore dignati non ſint, ſive quia curarum importunitate ac præpropera morte occupati non potuêre ad juſti partûs maturitatem perducere, quæ parabant, ex hoc orbe tanquam magnæ naves, nullo ſui relicto veſtigio exceſsêre. Plurimùm verò refert, unumquemque pro virili ſua parte præmia ſtimulósque virtutum augere, ſtuderéque, ut ijs, qui de ſapientia quidem optimè meriti ſunt, ſed ob humanam infelicitatem, nominis ſui vitam proprijs lucubrationibus prorogare nequivêre, liceat ſaltem poſthumam à grato aliorum animo ſperare. Id enim ſi à nobis negligeretur, illud in nos Plinij acre dictum caderet, (a) quòd, poſtquam deſijmus facere laudanda, laudari quoque ineptum putemus.

3. Alterum, quod Dialogus habet eximium, id eſt, quòd, cùm cæteroquin à can-

(a) *Lib.* . . .

à candore Didaſcalicæ formæ, ut demonſtravimus, pathemata & amplificationes repudientur, certè lectores magnæ voluptatis jejunos inaneſque relinqui neceſſe ſit, & nudos omni ſcuto, quod ad ejuſmodi telorum, quæ maximè ſunt penetrabilia, ictus comprobatū ſit. Dialogus verò & fontem habet domi, quo diſputationem ea quoque voluptate irroret, & Vulcaniam, in qua adamantini illi clypei cudantur. Dimittit enim pro libitu ſuo in arenam falſæ opinionis propugnatorem, qui pro ea omnes artes, quas eloquentia calidiſſimas habet, exſerat: ſubinde verò exponendæ veritatis partes Magiſtro demandat, qui plana Oratione vulpem illis argumentis excutiat, efficiátque, ut propoſitarum rationum Gigantæa ſpecies in vacuas planè nubes evaneſcat: denique ut expugnet faſcinum illud, quo affectûs offuciæ incurioſum lectorem dementaverant. Et certè magni præſidij inſtar eſt, non artibus magìs, quàm ingenijs, periculum earum machinarum feciſſe, quibus olim tentari expugnatio poſſit.

Unicum eventum excipio, ſi nimirum vel de impio dogmate, vel cupiditate ſacrilega ageretur; tum enim vetitum eſt ſcriptori, quocunque demum nomine, aut ſub cujuscunque diſputatoris perſona eas Echidnas probabili ſpecie veri aut honeſti conveſtire. Tam potens enim earum Spiritus eſt, ut ſi modò ſe, vel breviſſimâ temporis morâ, lectorum animis ſub blandiente illa ſpecie inhalaverint, ſæpe funeſtas illas Tragœdias excitent, quæ arcanorum Antidotorum propolis ſolent interdum evenire, dum, ut emptores ſuos de virtute pharmaci reddere certos cupiunt, viperarum in ſe dentes provocant. Fit enim, ut immedicabile virus antè combibant, quàm ab alexipharmaco ſuo medela ſuperveniat. Quapropter tum Charitatis, tum Prudentiæ leges exigunt, ut nemo artem ſuam anguibus illis lepida & amabili ſpecie involvendis commodet, ne eo quidem animo, ut eosdem cum ignominia quamprimum nudet: meminiſſe namque oportet, non continuò vulnus curari, ſi arcum confregeris.

Caput

Caput Vltimum.

Tertium Dialogi decus, varietas, & quæ hujus natura ſit, aperitur.

1. ALia inſignis Dialogi præſtantia eſt, quòd varietatem admittat nullâ Decori injuriâ. Varietas facultatum noſtrarum omnium, quæ cognitione pollent, delicioſiſſima tempe ſunt. Non autem perinde ab alijs animantibus eam diligi videmus: quocirca inſolens apud eas eſt, vel longa itinera curioſitatis explendæ causâ ſuſcipere, vel ſolitas dapes mutare ſtudio voluptatis. Forſitan hæc talis humani animi propria oblectatio argumento pariter eſt, propriam ejus eſſe cùm libertatem arbitrij, tum immortalitatem naturæ. Non gravatè (opinor) lectores ferent, aliquam ſibi moram injici, dum breviſſimas duas confirmationes geminæ iſtius altiſſimæ conſecutionis afferam. (a) Hermogenes Demoſthenem laudans, qui

(a) De formis Orat. l. 1. in Proœm.

qui unus varias orationis formas permiſcuerat, orationem uniformem vitium naturæ appellavit. Et ſanè permulta brevi hac ſententia complexus eſt. Nempe qui neceſſitate naturæ agitur, propenſionem non mutat: conſtans enim & immutabilis eſt ordo naturæ. Sic lapidem nativum pondus ſemper trudit ad centrum: ſic ignis innata ſibi levitate ad cælum ſuſtollitur: bruta pariter, quorum cupiditates omnes eò feruntur, quò fortior naturæ genius maximè trahit, impetus ſuos non mutant, niſi vel variatis extrà rebus objectis, vel proprio corpore interiùs immutato. Ipſe quoque homo, ut neceſſario impetu fertur in felicitatem, ſic affectionibus ſuis univerſis hoc invariabile deſiderium miſcet. Verùm quia idem quoque in bonorum ſingularium electione liber eſt, ideo eum tam variè affici videmus.

2. Atque hæc de libertate. De immortalitate porrò. Mortalibus rebus potiſſimus agendi finis eſt ſervare ſe ſe; quod nimirum reliquorum omnium bonorum fundamentum eſt. Et quia ijsdem

circum.

circumſtantijs perſeverantibus, eadem ſemper qualitas uni eidémque naturæ conſervandæ conducit, hinc eſt, rebus caducis atque interituris ſemper easdem eſſe cupiditates, & actiones. At verò immortales animi vitæ ſuæ ſecuri, beatè ſcilicet vivere, atque in hoc vaſtiſſimo naturæ regno, rerum omnium intellectu potiri allaborant. Porrò, quia id conſequi eodem tempore per circumſcriptos facultatibus noſtris limites non licet, ideo tam cupidi ſumus variandi, hoc eſt, diverſis ſaltem temporibus eas occupandi.

3. Sed non omnis continuò nobis varietas placet, neque tanto variandi, quod ille ait, rem prodigialiter unam ſtudio flagramus, ut placeat ſylvis Delphinem & Aprum undis appingi; (a) ſed ſuo rem quamque loco decenter poſitam volumus. Quapropter argutiæ illæ, quas in Comœdia cum voluptate audimus, ſi Tragœdiæ, aut alteri ſeriæ ſcriptioni, varietatis gratiâ, inſertæ fuerint, non rarò auditorum ſibi odium colligent.

4. Quare,

(*a*) *Horat. de Arte.*

4. Quare, ut argumento nos reddamus, ſi quendo Magiſter ſuo nomine ac ſenſu ſcribit, Decori lege prohibetur è via digredi, expectantibus ſcilicet lectoribus ab eo verba & multùm cum animo ſuo expenſa, & ſubinde limâ caſtigata, circumciſo omni eo, quod ambitioſum & peregrinum ſaperet: ſic ut difficulter varietatis dulcedinem cum hac Decori gravitate poſſit conjungere, cujus tamen Decori injurias communis hominum objurgatio acriter ulciſci ſolet. Verùm Dialogi ſcriptor familiariter colloquentium perſonam aptat ſibi; quam ob cauſam omnes illi digreſſus, qui familiarem ſermonem eorum, quos inducit, non dedeceant, ne ſcriptioni quidem ejus indecori futuri ſunt. Itaque digreſſiones illæ, ſi cæterà jucundæ fuerint, non afferent permiſtum indecentiæ faſtidium. Jucundæ autem erunt, ſi breves, aut ſi quando longiuſculæ, ejusmodi tamen fuerint, ut vel ab argumento non prorſus recedant, vel certè in res abeant argumento ipſo illecebroſiores. Hoc enim longè jucundiſſimum

homi-

homini eſt, veritatem aliquam deprehendiſſe, vel cùm præter ſpem, vel cùm ſpe major oblata eſt. Spes nimirum ſupervenientem gaudij voluptatem antè deflorat: quo modo Phavorinus diſputabat, cùm demonſtraret, Aſtrologos, etiam cùm vera bona prænunciant, haud parùm incommodare. Sæpe profectò notitia quæpiam, quam ceu gregariam fuiſſemus tranſmiſſuri, ſi eam frons operis promiſiſſet, adeóque nobis reddidiſſet obnoxiam; veluti ſingularis amatur, cùm improviſa obtigit, eámque ceu liberale ſcriptoris donum, nec expectatum, agnoſcimus.

5. Quæ res à duobus Poëticæ artis prodigijs, Homero & Marone peniſſimè perſpecta fuit, quorum uterque Epithetis minimè popularibus, & eruditis alluſionibus, dum rem unam exponit, plurium ſcientiam tradit, vel indolem regionum, vel incolarum mores, vel gentium natales, vel variarum mercium patriam indicando, ſeu etiam diverſorum corporum vim atque effecta prodendo; aut patefactis interdum

ſtem-

ſtemmatibus Principum & Heroum, vel rituum ſacrorum origine in lucem protracta, vel axiomatis diſciplinarum, & artium præceptis annotatis. Et Homerus maximè regnat ſine æmulo in perpetuis, aptiſſimiſque notationibus affectuum, atque morum cuique hominum generi congruentium: nec non ornamentorum, quibus aliæ atque aliæ regiones excellunt: interdum urbem aliquam notans ab amplitudine platearum, aliàs à copia lapidum, aut à civium cultu: jam Thisben à frequentia columbarum, Halyartum ab herbis, Antedonem à littoris vicinia, Lilæam à proximis Cephiſi fontibus appellans; Poëmati ſuo inſperſis omnibus, quæcunque audierat de Æthiopia, Ægypto & Africa univerſa. Sed penitiùs Græciam, & vicinas urbes deſcripſit, nunquam, ſi Straboni credimus, in horum adjunctorum adjectione hallucinatus.

6. At verò cùm Dialogi ſcriptori conceſſum non ſit, procurare varietatem doctrinæ, adhibitis ejuſmodi adjunctis, quæ à Magiſtris eloquentiæ *nihil efficien-*

tia

tia nuncupantur: utique quia in ſermone familiari nullus eorum uſus eſt, curabit aliquando, ut collocutores opinionem ſuam, lepidâ quapiam hiſtoriâ in medium allatâ, confirment: atque aliàs comparatione parùm animadverſi effectûs, qui vel à natura, vel ab arte proficiſci ſoleat. Præterea exornabit opus ſuum venuſtis digreſſionibus, quoniam id omne ſua ſponte placet, neque eſt à familiari collocutione alienum.

7. Abſtineat autem ſummopere ab evagatione, quæ ſpeciem potiùs errantis, quàm progredientis faciat: neque longiùs ab argumento ſuo abſcedat, earum videlicet avicularum ritu, quæ filo adſtrictæ capeſſere longiùs volatum nequeunt, quàm pro laquei licentia. Diſſoluta enim & effrenis varietas plerunque ingrata eſt, niſi fortè cùm primarium thema tam ſcabrum, hiſpidúmque fuerit, ut non alia re magìs oblectet, quàm admiratione ſcriptoris, cujus ingenium viliſſimæ cannabi intexere ornamenta ejusmodi noverit, quæ digno cultu regiam exornarent. Jam quod à

nobis

minus nemo lectorum queritur, ſe, quantumlibet diuturno errore, ab ruſticanorum operum obſcuritate, humilitatéque ad tam illuſtria & magnifica theatra ſeductum, & more Cincinnati ad imperium fuiſſe vocatum ab arato.

8. Neque ulteriùs in hoc argumento ſe noſtra diffundet oratio, poſtquam demonſtravimus, quem Imitationis modum amplectatur Dialogus: in quem ſcopum collinet, ut ſcenâ non egeat: ut ſit extra crimen, tametſi actiones referat non admodum memorabiles: & quî diſpendium temporis utilitate ſua ſarciat: quantùm valeat tum ad celebrandos noſtrorum temporum egregios viros, morte nuper ſublatos: tum ad ſuaviter edocendam veritatem, quæ dominantis forte ſententiæ tyrannidi ſeſe opponat: tum etiam quomodo varietate delectet: ac denique quiſnam in hujus uſu adhibendus modus, ratióque tenenda ſit.

9. Placet hanc diſputationem univerſam animadverſione obſignare: quòd,

quòd, ſicut invalido brachio nulla ſat eſſe gladiatoria inſtitutio poteſt ad enſem ritè vibrandum; ſic infirmis ingenijs ars nulla ſcribendi ſufficiat ad tractandum pro dignitate ſtylum.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIUM.

A.

ABbreviaturæ à Iuſtiniano & Baſilio Impp. è nominibus Titulorum & numero Textuum eliminatæ. Cap. 29. Num. 10.

Abſtractum loco *Concreti* uſurpatum & diverſæ illius variandi rationes. c. 25. n. 19.

Admiratio quomodo grata ſit intellectui. c. 10. n. 2. & ſeqq. Quomodo nihil admirando, teſte Horatio, beati eſſe poſſimus. Ibid. aliquot modi admiratione delectandi, è qua conceptus enaſcantur. c. 16. toto.

De mirabili falſo, ſeu ex falſo ducto ad formandos conceptus. c. 17. n. 1. & ſeqq.

De conceptibus admirabili amplificatione ſubnixis. c. 18. toto. De admiratione, quam Poëſis parit. Vide *Poëſis*.

Adjunctas quo diſcrimine Oratori, Philoſopho, & Poëtæ permiſſa. c. 9. n. 4. Cur quædam ſcriptori Dialogi conceſſa. c. 36. n. 6. Adjuncta exilia & ſingularia cur in hiſtoria reprehendenda, laudanda in fabulis. c. 30. n. 16.

Q Æn-

Æmulari Authores quid? & cur laudabile? c. 11. n. 1. & 10. Ejus materia propoſitâ in exemplum quadam Reioſti fabulâ declaratur. c. 12. n. 4. Quonam modo fabulæ veteres ad mentem Ariſtotelis æmulandæ? & regula generalis ſuper ea re. Ib. n. 5. & 6. & c. 13. n. 1. & ſeqq. Exemplum ad æmulationem conceptuum pertinens. c. 14. n. 2. Diverſitas in hac re, quæ inter conceptus intercedit & fabulas. c. 15. toto.

Æquivoca voces. Vide *Conceptus* ſextæ formæ.

Ætas puerilis in conſequendis elegantiæ dotibus virili præſtantior. c. 2. n. 4.

Affectata ſcribendi ratio quid? c. 6. n. 3.

Affectus corrumpit judicium, & veritatem tegit. c. 3. n. 2. Quare Hiſtorico & Philoſopho vetitum eos excitare? Ib. & n. 3. Affectibus agitati, ut pluimùm utuntur formis dicendi breviſſimis. c. 7. n. 2. ijsdem permiſſum verba ſynonyma denſare. c. 25. n. 3.

Alcidamas propter continuum uſum Epithetorum ab Ariſtotele reprehenſus. c. 9. n. 4.

Alimenta. Vide *Cibus* & *Natura.*

Allegoria utrùm ab Ariſtotele anima Poëmatum habita, & an idonea tradendæ doctrinæ? c 31. n 3. & 4.

Amadiſij (vulgò Romanzi) præſtigijs referti ſuo ſtupore non delectant niſi rudes: & cur? c 30 n. 11.

Amplificatio ſive auxeſis quid? c. 3 n 2. Cur Hiſto-

Hiſtorico & Præceptori vetita? Ib. & n. 3. Alia eſt affectûs, alia rei; quid requiratur, ut ſit immunis à vitio? c. 10, n. 2, Vide *Conceptus* ſeptimæ formæ.

Anagrammata cur placeant? c. 17, n. 14.

Antitheſes. Vide oppoſita.

Antonius à Cicerone ingenioſo acumine petitus. c. 17. n. 9.

Aquila Mæcenatis libertus *Siglas* & arcanas notas in Latio auxit. c. 29. n. 9.

Ariadne à Catullo Mænadi in marmore ſculptæ comparatur. c. 7. n. 4.

Arioſtus fabulam Pyladis & Oreſtis in ſuâ, quā de Leone & Rogerio confinxit, æmulatus eſt. c 12. n. 4. Expenditur quoddā ejus Epiphonema in Sannazarij commendationem. c. 19. n. 6.

Ariſtoteles. Ejus elegantia aureo flumini comparatur à Tullio. c. 2. n. 2. Platoni & Tullio in ſtylo Didaſcalico antefertur. c. 3. n. 3. Quam venuſtatem elegantiæ habeat? c. 4. n. 11. Quantam laudem mereatur à comparationibus, quas attulit? c. 7. n. 6. c. 8. n. 5. c. 9. n. 1.

Quod genus conceptum uſurpet, & cur non magnum acumen phraſis conjungat? c. 16. n 4. c. 17. n. 3. De Oppoſitis diſſerit cum laude, eáque adhibet in operibus ſuis. c. 19. n. 1. Quid nomine Poëticarum Allegoriarum intelligat? c. 31 n. 3. Non neglexit doctrinas ſuas explanare per Dialogi formam. Ib. n 5.

Ars quomodo abſcondi ex arte poſſit, & cuinam ſcriptori hoc utile? c. 19. n. 2. & 4. Et c 26. n. 4.

n. 4. & 7. Artis & experientiæ quale diſcrimen? c. 13. n. 2.

Artes geminæ, quarum una conceptus profert, altera explicat, naturâ ſuâ diverſæ ſunt. c. 11. n. 6.

Artes imitatrices, tantò laudabiliores, quantò ſunt fallaciores. c. 17 n. 3. Qualem voluptatem pariant ingenio? c. 30. n. 4.

Artes operoſæ, & perdifficiles, quæ componendo Poëmati vel orationi ſunt neceſſariæ. c. 11. n. 6.

Artificium magnum in oratione, argumentum eſt inſidiarum. c. 4. n. 12.

Aſtrologi etiam cùm vera bona prædicunt, damnoſi & quare? c. 38. n. 4.

Atticus Stylus qualis? c. 20. n. 7.

S. *Auguſtinus* quid de ſtylo ſacrarum Paginarum ſenſerit? c. 3. n. 5. Ejus Didaſcalica forma, quam Dialogis ſuis adhibet. c. 31. n. 5. & c. 35. n. 3.

Auditus cur tantam voluptatem ex numero & rhythmo percipiat? c. 5. n. 4. & 3.

Auris à Tullio ſuperbiſſima in judicando vocata. c. 5. n. 14. ob quam cauſam moras ſive pauſas interpolare ſonum velit? c. 36. n. 3. & 4.

Auctores quomodo æmulari quis poſſit citra furtum & imitationem. c. 11. 12. 13. totis. Quid ſit, ex Authorum lectione ſcientificè, non mirè diſcipuli profectum capere? c. 13. n. 2.

Authores egregios qua ratione gregarij ſcriptores imitentur? c. 6. n. 5. Cur obſcuriores diffi-

difficiliorésque avidiùs legantur ab ijs, qui eos intelligunt? c. 17. n. 7. Quinam ſequendi de ſerio argumento ſcripturis? c. 27. toto.

B.

Barbarus ſtylus quomodo ſcientias occupaverit, quomodo defendatur? c. 2. à num. 3. ad 8. Et c. 6. n 2. & 3.

Bembus. Bentivolius. Vide *Cardinalis.*

Bernardus Taſſus ortum diei centum deſcriptionibus diverſis expreſſit. c. 25. n. 8.

Boccaccius ejúsque ſtylus admodum exquiſitus. c. 5. n. 8.

Brevitas verborum cur neceſſaria argutijs? c. 10. n. 4. & 6. Inter ornamenta Elegantiæ ponitur. c. 23. n. 1. & ſeqq. reprehenditur in orationibus. c. 36. n. 5.

Bruta animalia cur nullam à verſu & numero Periodorum capiant voluptatem? c. 5. n. 4. Cur varietate non delectentur? c. 38. n. 1.

C.

Cantus cur Poëmati conveniat? c. 30. n. 18.

Cauſa rerum & *univerſale* in idem recidunt. c. 3. Vide *effectus.*

Cauſidici Reip. Rom. cur quaſdam inſolentes dicendi formas invexerint? c. 29. n. 11

Cardinalis Bembus, ejúsque ſtylus. c 5. n. 8. Ejuſdem de numero ſententia. Ib n. 10. refutatur quædam ab eo allata ſimilitudo. c. 8. n 3. & 4. Quid requirat in imitatione authorum. c. 11.

c. 11, n. 2. Cum laude Dialogi formam tenet, c. 31. n. 5. & c. 25. n. 3.

Cardinalis Bentivolius, ejus laudes, & quem numeri tenorem ſervet in Hiſtoria ſua? c. 5. n. 9.

Carolus M. inſtaurator ſcientiarum in Europa. c. 2. n. 3.

Carus. Vide Caſtelvetrius.

Caſa, expenditur quidam ejus conceptus de zelotypia c. 17. n. 2.

Caſus, cùm id efficit, quod alioquin arte & induſtria conficitur, mirabilis evadit & jucundus. c. 17. n. 10. & 14. Et c. 19. n. 2. & 4.

Caſtelvetrius ſimilitudinem à Bembo de Idiomatibus allatam perperam oppugnat. c. 8. n. 3. Cum Annibale Caro ſuper innovatione vocum contendit. c. 21. n. 4. & 6. pœne unus eſt poſt Ariſtotelem, qui artem dicendi è ſcientia tradiderit. c. 27. n. 9.

Centonibus Poëticis cur delectemur? c. 17. n. 14.

Certitudo rationum cur quibusdam ingenijs odioſa dicatur ab Ariſtotele? c. 8. n. 5.

Ciampolus, quonam modo argutiam quandam Virginij Cæſarini æmulatus fuerit? c. 14. n. 2. Hyperbolicè & ſimul verè facinora Herculis & opus Dantis celebrat. c. 18. n. 9.

Cibus quàm parva ſui parte vertatur in ſubſtantiam noſtram? Et cur à nobis tanta copia non profuturæ materiæ ſumatur? c. 36. n. 2. 3. 4. 5.

Cicero quibus ſententijs de ſtylo Didaſcalico diſpu-

diſputet? c. 3. n. 3. Et c.4. n. 8, 9. Senecæ atque Lucretio præfertur in uſu figurarum c. 4. n. 7. 8. Duplex contra Philoſophicum ejus ſtylum exceptio affertur. c.4. n. 11. Ars ab eo tradita proſam Orationem efficiendi numeroſam. c. 5. n.1. à quibus vitijs immunem Oratorem velit? Ib. n. 6. Comparatur cum Seneca in uſurpatione ſententiarum, & quomodo ei præſtet? c. 6. n.4. Æquivocis utitur cum laude. c. 17. n. 9. Sermonem, Ennij & Scipionis temporibus florentem, ſimulatò anteponit ſua ætate uſurpato. c. 27. n. 1. Sapienter philoſophatur de uſu, nomina ſingulis artibus propria novis vocibus exprimendi. c. 29. n. 1. formam Dialogi doctè ac disertè pertractat. c. 31. n. 5. c 32. n. 2. c. 34. n. 2. Et c. 35. n. 1. & 3.

Circumſtantia ſive adjuncta tenuiſſima, cur in deſcriptionibus Poëticis appareant pulchriora? c. 30. n. 17.

Cognitio in *abſolutam* & *comparativam* dividitur. c. 7. n. 1. Comparativa ſcientiarum efficaciſſimum inſtrumentum, pleniúsque ſatisfacit deſiderio intellectûs. Ib.

Comœdia cur indiga ſcenæ? c. 32. n. 1.

Comparatio inter prima eloquentiæ ornamenta. c. 7. n. 1. multis veritatibus ditat intellectum, & magnorum duntaxat ingeniorum eſt. Ib. Vnde delectatio, quam parit, conſurgat? Ib. n. 23. 4 & 5. Vide in voce *ſimilitudines*.

Comparatio explicata & adſtricta, vide *Imago*.

Comparatio explicata quid? Duplex commodum, quod ab ea percipimus. c. 7. n. 2.

Comparatio tacita. Vide Metaphora.

Compendia doctrinæ cur ad plenam perfectámque eruditionem conſequendam non ſufficiant? c. 36. n. 5.

Conceptus, in recenti hujus vocis ſignificatione Græcis diu ignoti, & à varijs Præceptoribus eloquentiæ perperam traditi. c. 10. n. 1. Vnde ijs pretium factum eſt, quomodo definiantur? Ib. n. 4 & ſeqq. Et c. 3 n. 1. Cur brevitatem ament? c. 10. n. 6 quandonam furto ſublati, quando imitatione vel æmulatione expreſſi vocitentur. c. 14. toto. Maximè novi maximè placent, ex alijs authoribus non niſi generalia eorum prædicata excerpenda. c 10. n. 5 & 6 Et c. 15. n. 2. & ſeqq. diſcrimen, quo hac in parte à fabulis diſſident c. 15. n. 1. Eorum cum *ſententijs*, *Metaphoris* & *Comparationibus adſtrictis* ſimilitudo, c. 16. n. 1. Diverſæ formæ eos pariendi. c. 16. 17. 18. 19. totis. *Prima* & *Secunda* forma in eo verſantur, ut ex propoſitione quapiam eruatur, quod cum expectatione aliorum pugnat, & ut in adverſarium improviſo propria ipſius ratio retorqueatur. c. 16. n. 2. & 3.

Tertia; cùm repentè mirabilis in eo, quod dicitur, animadvertatio producitur. Ib. n 5. Tres iſtæ formæ Philoſopho idoneæ. Ib. n. 4. & 5. Eædem ad formandos Conceptus aptiſſimæ, & ad eorum definitionem maximè factæ, Ib. n. 4. & 6.

& 6. Secunda præſtat primæ, & utraque antecedit tertiæ. Ib. n. 6.

Quarta ſpecies: cùm id, quod ab Authore profertur, verum quidem eſt, non tamen eſt mirabile, pro quo ipſe id vendicat. c. 17. n. 1. & 2. Hæc ſpecies à Philoſopho aliena Poëtis apta. Ib. n. 3. & 5.

Quinta: cùm in ipſa rei, quam affirmant, ſubſtantia fucum faciunt, capiendo in ſignificatione propria, qnod verum eſt tantùm in Metaphorica. c. 17. n. 4. Ea Poëtæ laudem perexiguam, Philoſopho autem dedecus non exiguum affert. Ib. n. 5. modicis ingenijs ſemper, interdum etiam magnis probatur. Ib. & n. 6. & 7.

Sexta: cùm miranda quæpiam conſecutio confirmatur Paralogiſmo, quem anceps vocum ſignificatio componit. Ib. n. 8. & 9. Extra facetias non habet locum. Ib. & n. 10. Duplex caſus: in quo ſublimia ingenia non offendit. Ib. n. 11. quatenus Didaſcàlico ſtylo permiſſa. Ib. n. 12. & ſeqq.

Septima: auxeſis inexpectata & mirabilis, cujus varia exempla afferuntur. c. 18. à num. 1. ad 6. à *correctione* plus vigoris capit Ib. n 9.

Octava in uſu *Oppoſitorum* ſita eſt. c. 19. n. 1. Quam ob cauſam hæc placeat? Ib. n. 1. Alia oppoſita rerum naturam, alia verborum ſonum ſpectant. Ib. n. 2. Priora, ſi moderatè ſumantur, placent etiam in ſeveriſſima Philoſophia. Ib. n. 1. Poſteriora non niſi raro illi; ſemper autem ludicris argumentis congruunt. Ib n. 2.

Cùm trita ſunt, & pervulgata, vel etiam operoſè conquiſita videntur, ſunt ingrata Lectoribus. Ib. n. 1. 3. & 4. Conceptus ex aliquibus enumeratarum formarum compoſiti. Ib. n. 6.

D.

Dantes in quodam loco purgatorij ſui Taſſo ſui imitandi copiam fecit. c. 18. n. 5. Mirabile encomium, quo cum Ciampolus celebrat. Ib. n. 9.

Delectatio, quam parit eloquentia, unde naſcatur? c. 3. n. 1. Delectatio, quam lector capit à comparationibus ſeu ſimilitudinibus. c. 7. n. 1. 2. 3. Delectatio præcipua intellectûs in admiratione conſiſtit, & quî hoc fiat. c. 10. n. 2. Multa, quæ ſe ſolis nullam afferunt delectationem, vim delectandi rerum aliarum acuunt. c. 34 n. 1.

Demoſthenes laudatus, quòd primus orationum varias formas permiſcuerit. c. 38. n. 1.

Democritus qualis habitus fuerit ob phraſim. c. 2. n. 2.

Deſcriptiones ſuccinctæ propriorum loco nominum adhibitæ quando conceſſæ & quibus? c. 9 n. 5. Deſcribere res generalibus vocibus inopia eſt vel linguæ, vel loquentis. c. 23. n. 2. 3. 4 In deſcriptionibus Poëticis cur circumſtantiæ tenuiores eædem & elegantiores ſint? c. 30. n. 2.

Dialecti Italicæ omnes pompæ & magnitudinis in dicendo capaces. c. 20. n. 2. Vide *Linguæ*.

Dia-

